AUTHOR:

SCHONBACH, MARTIN

TITLE:

DE PERSII IN SATURIS SERMONE ET ARTE

PLACE:

WEIDAE THURINGORUM

DATE:

1910

Master Negative #

92-80496-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schönbach, Martin, 1886-
De Persii in Saturis sermone et arte; dissertatio quam... scripsit Martinus Schönbach...
Weidae Thuringorum, Typis expresserunt Thomas et Hubert, 1910.
70 p. 23 cm.

Bibliography, p.[7]-8.
Thesis, Leipzig, 1910.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6 MAR92 INITIALS RW
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

DE PERSII
IN SATURIS SERMONE ET ARTE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

MARTINUS SCHÖNBACH

LUSATUS

WEIDAE THURINGORUM

TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT

MCMX

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Heinze et Bethe

Lipsiae d. XXIX. m. April. a. MCMX.

Procancellario

Rohn.

THEODORO · SCHÖNBACH · LIPSIENSI

PATRVO · SACRVM

Conspectus libelli.

Subsidia. sigla.

Textus fundamentum est Jahni-Buecheleri editio cum scholiis tertia anni 1893.

Commentarii praesto fuerunt: primo loco laudandus Ottonis Jahni Lipsiae 1843. nec non Casauboni a Duebnero retractatus Lipsiae 1839.

Heinrichii, Lipsiae 1844. Anglorum Conington-Nettleship Oxonii[3] 1893.

Némethyi Hungari: Persii satirae. Budae-Pestini 1903.

Non inspicere mihi licuit Consolium: A. Persii Flacci satirarum liber. Romae 1904; Romarinonem: Le Satire di Persio. Augustae Taurinorum 1905; Albinium: Persii Flacci satirarum liber. Augustae Taurinorum 1907.

Cetera haec sunt dissertationis subsidia, quae saepius citantur:

Pseudo-Acronis scholia in Horatium rec. Keller.

Albinius: studi italiani di filologia classica II (1894), pp. 339—373.

Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik von Eduard von Woelfflin. Bd. I—XV. = arch.

M. Annaei Lucani commenta Bernensia secundum editionem Hermanni Useneri. Lips. 1869.

Aelii Donati commentum Terenti rec. Wessner.

Festi-Pauli de verborum significatione liber secundum Caroli Odofredi Muelleri editionem Lipsiae 1880.

Corpus glossariorum latinorum edd. Loewius-Goetzius cum indicibus voll. II—VII. = gloss.

Grammatici latini ex recensione Henrici Keilii. = Gr.

Heraeus: Die Sprache des Petron und die Glossen. Progr. Offenbach. 1899. = Heraeus.

Isidori Hispaliensis episcopi etymologiarum libri XX. = corpus grammaticorum latinorum veterum ex recensione Friderici Lindemanni tom. III. Lipsiae 1833. = Isidor. etym. vel orig.

Aemilius Luebeckius: Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit. Lipsiae 1872.

G. Mueller: de linguae latinae deminutivis. diss. Lips. 1885. = Mueller dem.

Nonii Marcelli de compendiosa doctrina libri XX secundum editionem Lindsayi. Lips. 1903.
Otto: „Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer." Lpz. 1890.
Pomponii Porphyrionis commentarii in Q. Horatium Flaccum rec. Guilelmus Meyer Spirensis.
Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii ex rec. Georgii Thilonis et Hermanni Hageni cum ceteris scholiis.
M. Terentius Varro de lingua latina. sec. rec. Goetzii-Schoellii 1910.

A. Exordium: propositio.

Persii auctoris unici sors unica: scilicet auctor admodum difficilis in eorum versatur numero, qui primi suum praeconem invenerunt nostris temporibus. Nam qui primus post Casauboni curam remotam ad Persium accessit, statim totum Persium ita descripsit atque funditus excussit, ut ab altero editore nondum sit superatus. Certe Otto Jahnus multifariam erravit, sed posuit fundamentum, quod adhuc redintegratum non est. Etenim non modo commentario Jahnus Persium instruxit doctissimo, sed etiam de Persii sermone et arte in prolegomenis ita disputavit, ut primo putes obtutu ne nunc quidum posse quemquam colorem ullum addere ei quam ille delineavit imagini vel evertere eius iudicium. Ii sane, qui post Jahnum de Persii elocutione scripserunt, aut comprobarunt Jahni sententiam et planius exponendo et exempla cumulando aut ipsi nugati sunt. Communis autem omnium constat opinio de Persii sermone vulgari, imitatione Horatiana, arte rhetorica: ratio est Heckmannsi (Persiana diss. Monast. 1875.) Küsteri (progr. Loebau. 1894. 1896. 1897.) ipsius quoque Eichenbergi (de Persii satirarum natura atque indole diss. Vratisl. 1905.) exempla enumerandi dissipandi soluta a contextu verborum; sane levissima, et ab ea quam nos quidem censemus solam esse philologo ineundam alienissima. Nam sane is non stilum auctoris illustrat, qui praepositionum frequentiam et usum enumerat (Küster. 1897. cap. VI.) neque ars explanatur, si quis rem minutissimam Persium observasse in sermone bene formando exemplis confirmat talibus: „ad infinitivum tamquam ad substantivum adiungit pronomen vel adiectivum" (Heckmanns. p. 13.) nec possunt Persii arti et ingenio cognoscendo satisfacere Eichenbergi sermonis cotidiani et ornamentorum artis rhetoricae indices. Multo melius iam antea Jahnus inquisiverat

atque multo rectius de Persii arte atque ingenio viderat, cum artem eius mimicam atque rationem illam, qua homines quasi viventes et vigentes ante oculos ponuntur, eximio eius studio tribuendam exposuit (p. CIV.sqq.). Verumtamen in hoc uno erravit, quod Persianae satirae cum mimis coniunctionem voluit statuere. Nam primum quidem quid de 70. Lydi loco (de mag. 1,4.): *Πέρσιος τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν* sit iudicandum inter omnes constat: nihil est nisi autoschediasma hominis critici hac in re semel admodum sagacis, in universum autem parum litterati et ceteroquin quem novimus vaniloqui. Deinde ipsa artificia in satura Persiana conspicua nunc rectius scimus unde originem duxerint. Influxit enim e Graecia non tenuis quidam sed abundantissimus fortasse amnis. Bionei enim sermones (Hor. epp. II 2, 60.) quantum valuerint in saturam Romanorum Heinzii de Horatio Bionis imitatore Bonn. 1889. dissertationi debemus demonstratum (cf. etiam mus. Rhen. 45. (1890.) 497 sqq.). Ex eo non desierunt patefieri diatribarum cum saturis conexus. Scriptorum indicem exhibet Wendlandius de cultura Graeco-Romana Tubing. 1907. p. 39 sqq. de Lucilio addas Gerckeum mus. Rhenan. 48. (1893.) 41. Nuperrime ad has res adiit Geffckenus Kynica 1909., maxime p. 6 sqq. De genere dicendi in universum — dico adversarii illius *ἀόριστον πρόςωπον*, dialogorum componendorum artem, alia diatribarum auctorum dicendi artificia (cf. Heinze ad Lucret. III 931 sqq. p. 175.) – et Weberi opera de Senecae dicendi genere Bioneo diss. Marpurgi Cattorum 1895. et Eichenbergii curis sumus docti.

Hac re sane Eichenbergius Jahni doctrinam correxit, originem sermonis et artis demonstravit, sermonem ipsum et artem censeo etiam accuratius esse illustrandam, cum possit. Quod non posse fieri apparet nisi interpretatione accuratissima. Cui adhuc unus Sornius (progr. Laibach. 1890.) navavit operam. Sed cum parum firmis nixus sit fundamentis i. e. ad locum quendam illustrandum litteras quaecumque sunt praesto omnes non sit perscrutatus, rectum non vidit. Ipse quoque habet Persii sermonem mere volgarem, artem non perspexit.

Restat igitur nobis, quae illi omiserunt, examinare, num ars et consilium insit in sermone a mere volgariter dicendi

studio alienum et quatenus is, quem proprietate sermonis constat longe distare a magnis poetis et litterarum dominatoribus illis, qui in fastigio latinitatis positi soli latine loqui hominibus elegantioribus videbantur, de sublimitate et quo consilio descenderit ac num ad plebis suum sermonem adaptarit vel quo iure sermo Persianus cum Senecae de morte Claudii Caesaris vel cum Petronii comparetur (veluti a Jahno p. CVI). Etenim sane volgarem sermonis charactera comprobare videtur is quem supra cognovimus cum diatribis conexus. Nam illos qui „in angiportis vulgo se immiscuerunt et quidquid perverse factum viderent vel dictum audirent, ad id se applicuerunt summaque libertate hominum stultitiam notarunt“ (Wachsmuthius sillogr. p. 68), nonne veri est simillimum de industria persaepe in vitiis castigandis sermonis elegantiam plane refugisse, de malis male, de ridiculis ridicule, de obscenis obscene, cum doctis docte, cum rusticis rustice verba fecisse et ad plebeiam ipsorum sermocinandi rationem adaptasse?[1]) Quid quod Cynicorum populariter ac rustice ac sordide loquendi notum est studium. (cf. E. Weber, stud. Lips. X 173 sq. Hirzel. dial. I, p. 373.) Idem hoc genus dicendi nonne etiam in Persio valere videtur? An licet cognoscere artis vestigia?

Quae cum perscrutati erimus, inde conabimur progredi ad novum, si continget, iudicium de Persii ipsa arte atque eius apud aequales auctoritate formandum.

Ipsa autem quaestio qua ratione possit fieri, si quaeris, trita licet via, haud ita tuta atque munita proficisci. Tractandi autem tales quaestiones quae sunt de sermone volgari lineamenta adumbravit primus quod sciam Woelfflinius in Philologo 34. (1876.) 149 sqq. Neque vero nobis cum eis res est, qui quod nos linguae latinae volgaris nomine appellare solemus unquam extitisse negarunt nisi in nostri aevi philologorum animis.[2]) Nam ut remissioris stili manum ac cotidianae cuiusdam

---

[1]) „Volkstümlich ist die Art, wie die Äußerungen herauswachsen, . . . volkstümlich die Vorliebe für plebeische Sprache.“ Wendlandius l. p. 41, l. p. 40.

[2]) Imprimis Seelmannus de ling. lat. elocutione, p. 10. Sittlius Bursian. — Mueller. ann. 58, p. 221. Audias Meyerum-Luebkeum arch. XI. de Mohli libro qui inscribitur „introduction à la chronologie du latin vulgaire“. Paris. 1899.: „von den vielen Träumen, die schon über das Vulgärlatein geträumt worden sind, ist der Mohlsche zweifellos der schönste“.

consuetudinis primo quisque obtutu in Persio videt, ita totum Persium accuratum plebis sermonis exemplum non esse ab initio statutum habemus atque persuasum. Eam quam Marxius nuperrime elocutus est ann. nov. 1909, p. 435: „demnach gibt es weder ein Schriftdenkmal, das ganz von Vulgarismen frei ist, noch ein Schriftdenkmal des absoluten Vulgärlateins“ tenemus rationem.

Inter ipsa dissertationis subsidia equidem grammaticorum testimonia ut haud parvi pretii praeter cetera non esse neglegenda censeo; nam cum ea linguae latinae notitia nos imbuti non simus, ut in eius modi quaestionibus certum semper facere possimus iudicium, iam concedetur plus illis tribuendum esse, qui lingua latina ut vernacula atque nativa usi sint, quam auribus nostris. Nova autem cognoscendi via est patefacta, cum corpus glossariorum latinorum Loewei Goetzii curis in lucem prodiit. Ex quibus quantum posset exhauriri in Petronii sermone illustrando nuper Heraeus luculentissime demonstravit progr. Offenbach 1899.

B. Tractatio: selectorum locorum interpretatio.

Satura I.

6. Peculiarem primam dicendi rationem Persianam cognosces hinc: „examen improbum in illa castiges trutina“. Sitne volgaris an artificiosus sermo, si quaeris, „examen“ vocis ambiguus est apud grammaticos usus. Librationem ipsam antiquorum accurate exposuit Vitruvius 10, 3, 4. Librarum exemplaria quae ex antiquitate habemus servata effigie habes expressa apud Baumeisterum no: 2316 sqq. in Archaeologia X (Londini 1792) tab. XIII, p. 134. mus. Borbon. I, 55; VIII, 16. Ad suspendium erant factae vel manu tenendae atque ex hisce constabant:

1. hasta vel scapo eoque forato, ut fila vel lina ad hastam, vel catenae vel catellae vel ansae ad lanculas vel pondera tenenda alligarentur.

2. filo vel lino (vel potius filis, linis) quo hasta simulque tota libra erat suspensa et regebatur.

3. ponderibus et lanculis quae ab altera parte suspendebantur hastae.

Carent igitur plerumque haec lingua vel ligula ea quae mediae hastae recto angulo infigitur quaeque ad pensionem inspiciendam, congruatne cum filo illo vel lino, quo ipsa hasta media tenetur necne, examinatur. Quae mirum in modum deficit plerumque etiam in picturis antiquis eas quae habuisse videntur trutinas. In illis autem quae in cotidiano erant usu pensionem parem perficiebat scapi libratio. Quo factum est, ut ne „examinis“ quidem nomen constaret. Sed inde confusio illa exorta esse mihi videtur apud grammaticos, qua „examinis“ nomine vel ligulam vel filum vel hastam vel ipsam libram totam denotabant: et ligulam et filum scholiographus noster: „examen est lingua vel linum, quod mediam hastam ad

aequanda pondera tenet", filum Servius Aen. 12, 725: „examen autem proprie est filum quo trutina regitur." (= Isid. 26, 25,5) „hastam vel libram ipsam glossographus II, 322, 38 „ζυγὸς ἐν ᾧ σταθμίζομεν" (cf. Aesch. Suppl. 822; Plat. Rep. 550e.)

Sed optime accidit, ut etiam magis liceat in volgi sermonem penetrare. „Aginam" enim nominat „examen" Porphyrio Horat. epp. 2, 1, 72: „examine" vel „agina" quae pars est „trutinae". Ac re vera viguisse hoc vocamen in volgi vivo sermone etiam Buechelero est visum (mus. Rhen. 37. (1882.) 518.). Et quamvis ut ex „ago" verbo oriunda propria videatur fuisse ea quam Paulus exhibet significatio p. 10, 3: „agina est quo inseritur scapus trutinae i. e. quo foramine trutinae se vertit" (add. gloss. IV, 13, 41), tamen ad alias partes significandas transferebatur et item poterat atque scapus (Plac. V 7, 1 = gloss. V 45, 20) examen hoc nomine intellegi. In cotidiano igitur erat usu. Persius bonum adhibet et optimo quoque stilo dignum vocabulum: Verg. 12, 725 „Iuppiter ipse duas aequato examine lances".

Magis vero in dubio haeremus de „castigandi" vocabulo. Neque enim cum Heinrichio locus 5. 100 „examen compescere" (i. e. ἐπέχειν gloss. II, 306, 52) est afferendus; quo noster non explicatur. Etiam Georgesius lexicographus prave explicat: „räumlich zusammenfassen, einschließen" afferens Silii locum 12, 355 „insula castigatur"[1]); quo loco propriam velim intellegas verbi significationem, cum mente suppleas „mari et undis". Servius enim ad Verg. Aen. 5, 387 et Nonius s. v. nullam aliam praebent vocis explicationem nisi „increpare reprehendere vindicare punire obiurgare" et gloss. νουθετῶ II, 377, 16, ἐπιτιμῶ II, 312, 11, obiurgat ἐπιπλήττει II, 98, 22, verbis corrigit IV, 31, 31, flagellat V, 564, 26 all. sim. et Isidorus diff. verb. 1, 96 „castigamus verbis et verberibus". Et hoc modo cum ceteri omnes exhibeant, de trutina unum et solum Persianum exemplum extet in antiquis litteris (cf. thes. III, 3, 535, 61), apud grammaticos ne ullum quidem vestigium reperiatur, verisimile non est auctoritatem esse ullam Cassiani qui conl. XXIII, 5 (eccl. corp. Vindob. XIII, p. 647, 2 Petschenig.) p. 646, 25sqq. haec: „denique", inquit „cum . . . pensaret ac velut in una lance tantorum laborum profectum in altera delectationem divinae con-

[1]) ubi scriptura non constat: „fastigatur" CHLF, quod Bauer recipit.

templationis adpenderet, diu examine pectoris sui quodam modo castigato, dum illum hinc laborum stipendia immensa delectant, illinc desiderium unitatis et inseparabilis Christi societatis etiam ad resolutionem carnis invitat, anxius tandem proclamat et dicit: quid eligam ignoro" de re stathmetica aperte traxit imaginem, haud ita de vivo sermone, immo de Persii satura lecta suum sermonem ditasse mihi videtur. Quid quod audaciae sibi conscius „quodam modo" adiecit? Igitur hic potius est testis elocutionis esse Persium ipsum auctorem et novatorem in litteris. Sed sensum ex Cassiano constabit non posse dubitari quin recte scholiasta Persiana verba explicaverit: „castigare est libram digito percutere, (i. e. quasi flagellare, verberare) ut temperetur". Est autem huic „castigandi" vocabulo in Persio leviter immixtus hic sensus: difficile temperatur falsa trutina. Nam „improbum" est „falsum corruptum", quare trutina non potest quamvis percussa pondera iusta demonstrare. Sententia autem est huiuscemodi: parcas ligulam pravam percutendo librae pensionem falsam ita corrigere ac temperare, ut iusta fiat. Vides igitur, quomodo Horatium (serm. 1, 3, 72. epp. 2, 1, 30) et re et vocabulo superarit.

12. „sed sum petulanti splene cachinno." Ut Lucilius „subpilo premo combibo mando" (Marx, p. 315) sane ex populi more posuit vocabula, ita Persius nove ipse se petulanti splene cachinnonem appellat, haud inficete. Sed procul dubio prave scholiasta nos relegat ad *μῶρον γελῶντα*, cuius charactera descripsit Menander monost. gnom. 108. ita:

Γελᾷ δ' ὁ μῶρος, κἄν τι μὴ γέλοιον ᾖ. quo scurram illum denotat mimarium, *μῶρον φαλακρόν*, stupidum Graecum apiciosum (Anglice: clown): Dieterich. Pulcinella, p. 148. Reich. Mimus I^2, p. 448. Hic noluit Persius intellegi, pro stupido nemo venditet satiricum nostrum. Igitur aliunde vocabulum interpretandum. Ac primum quidem cachinnare potuit audire „inridere" apud Romanos (gloss. IV 490, 34. V 272, 57; 626, 29). Atque nominum in -o, -onis desinentium vis a Fischio Berol. 1890, arch. V 56sqq. Guil. Meyero arch. V 233sqq. aliis est inlustrata. Imprimis etiam — quod ad nos pertinet — tali nomine (veluti „edo" „strabo" „erro" „helluo") is significatur, „der eine Eigenschaft in besonders auffälligem Maße besitzt" (Brugmann.

Grundr. II, 1 (1889.), p. 324). „Splen“ autem vocabulum positum eximiae artis est Persianae, de qua in universum iam monuit Meister (Versuch über Persius sat. I, 92—106). Habet enim Persius ut augendi studiosus in deliciis affectuum non simplicibus vocabulis uti, sed ad origines sedesque ipsas potius recedere. Nam Servius Aen. 6, 596: „risus“ inquit „in splene“ 8, 219 „splene ridemus secundum physicos“. (cf. Isid. XI 1, 125; 127.) Persius igitur inaudito sane quodam modo se ipse significat ad cachinnandum quasi natum vel certe quasi natura impulsum, ut depravatos mores inridendo perstringeret. Quod sane est auctum illud Horatii „ridendo dicere verum“ et ipsum augetur addito „petulanti splene“.

13sqq. De toto sequente loco in universum conferas quae de temporum suorum depravatis moribus narrant Seneca epp. 114. Tacitus dial. 26, de recitantium schematibus *φορτικοῖς* et audientium de moribus Plutarchus illo libro qui est de recta ratione audiendi, Seneca de brev. vit. 12, 3. Friedlaender hist. mor. III[6] 420sqq.

17. Huc „liquido cum plasmate guttur mobile conlueris“ est referendum. Sed de „plasma“ vocis primum in hac re usu ambigitur. Est enim in propatulo scholiographo hac in re auctoritatem nullam esse vindicandam; nam cum scripsit: „plasma est potio qua utuntur musici et qui vocis affectant habere dulcedinem, solet enim vocem bene sonantem facere“, venit in suspitionem alteram huius vocabuli notionem prave huic loco intulisse, non intellexisse poetae mentem. Neque enim potuit potionem Probus in animo habere, cum Aeneida velle plasmate legi exposuit (Hagen III 2, p. 328, 30). Immo longe alio hoc spectat: nam Georgica quomodo pronuntiarentur, statim ostendit (sc. Vergilius) dicendo (ge. 1, 5.): „hinc canere incipiam“. Item Aeneida quoniam plasmate legi volebat, ait (Aen. 1. 1.), „arma virumque cano“. Hic est plasma = lectio in canticum dissoluta quam vocat Quintilianus 1, 8, 2. Quae sit prior ac propria vocis notio quaeque origo quaerendum. Ac nequeo Ernestio adstipulari qui in lexico technologiae Graecorum rhetoricae Lips. 1795, p. 270. fieri potuisse negat, ut nisi magno abusu ipsa talis vox delicatior et effeminata plasma diceretur, cum eo nomine proprie potio vocem effeminans insigniretur. Nam si Graeca

examinamus testimonia contraria ratio est in aprico. Neque enim usquam potionis illius vel sorbitiunculae fit mentio neque inde locutio latina accipit lucem a graeca. Habebat autem plasma apud Graecos cum alias (cf. Ernestium) tum duas potissimum notiones, unde noster potest locus illustrari. Ac primum quidem in re musica plasma erat = modulatio i. e. varietas sonorum veluti in tibiis quibusdam quas commemoravit Theophrastus hist. plant. 4, 11, 5: ibi enim *τοῖς μετὰ πλάσματος αὐλοῦσιν* opposuit *τοὺς ἀπλάστως αὐλοῦντας* (ib. 4) i. e. illis qui foraminibus quibus clarescit cantus tibiarum eos qui recto modo exitu.... spiritum reddunt (Quint. 1, 11, 7). Quocum conferendum est Plutarchi de Cicerone iudicium, cuius vocem cum ita describit III 862c: *„ἡ δὲ φωνή πολλὴ μὲν καὶ ἀγαθή, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαστος“* asperam vel immodulatam vocem voluit significare. Deinde autem vocis humanae „plasma“ inde ex locis qui apud Ernestium extant collati apparet fuisse artificiosam quandam naturalis vocis variationem vel ad aliorum hominum voces imitandas vel ad splendorem quendam atque colorem in sermone consequendum. Quod certe cum laude poterat fieri. Sed Persii aevo male grassabatur ea consuetudo qua „vocem cuius rectum cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, inflexu modulationis incertissimae torquebant“ (Sen. de brev. vit. 12, 3) et „in canticum erat dissoluta lectio“ (Quint. 1, 8, 2) ita ut cantarent declamatores illi magis quam legerent. Quintilianum autem si l. l. „plasmate“ effeminatam vocat lectionem illam parum virilem elucet a trita vocis significatione non esse alienum, neque ullo modo licere cum Ernestio de potione illa cogitare; nam poterat bene vocula tantum modo potione effeminata vocari, nequit facile ita lectio: sed lectio optime illo tortuoso inflexu vocis effeminata habetur. Quae cum ita sint, quanta futura fuerit Persii audacia apparet, si sorbitiunculam plasma vocasset. Sed ad eam illum omnino accessisse ne credamus, ratio vetat. Neque enim ita se facile vel omnino intellectum iri sperare poterat.

„Liquido“ autem „plasmate“ quisque pro eo accipiebat quod erat: ut enim „liquidas (i. e. „puras“ schol. brev. exp. q. v. p. 268, 3 Hagen.) corvi presso ter gutture voces aut quater ingeminant“ apud Vergilium ge. 1, 410., ita liquidum plasma

vocatur clara pura suavis modulatio; nam ut tibiarum cantus plasmate clarescunt, ita vox humana *καταπεπλασμένη* est quasi *λιγεία*. (cf. Quint. 1, 11, 6.) Sed scholiastae error facile explicatur: ad „conlueris“ enim ablativum ut instrumenti qui vocatur perperam rettulit qui cum mobile[1]) revera vult coniungi. Guttur enim ratione illa est mobile factum et habet multum modulaminis atque flexionis et sonos mollis et delicatos quos Cicero vocat de orat. 3, 25, 98. „conluere“ autem est „gargarizare“ (gloss. V 634, 56). Sane ipsorum illorum usus sermone maxime perversitatem illam detorsit in ridiculum.

18. Ex volgi sermonis more plane effictum, sed proprium Persii sermonem intelleges ex „patranti fractus ocello“. Nihil autem exhibent glossae nisi proprium „impetrandi peragendi“ notionem; nec diu igitur nec in volgi sermone viguisse videtur obscenitas. Verumtamen „expatro“ legitur gloss. II 291, 8 = *ἐκκρίνω ἐπὶ συνουσίᾳ* et „patrandi“ mala consuetudine in obscenum intellectum erat quondam detortum vocabulum (cf. Quint. 8, 3, 44). „patratio“ enim rei venereae est consummatio: schol. = Isid. etym. 9, 5, 3. Atque explicatur ab Heyio ita: „patratio ist durch Ellipse von coitus zu seiner speziellen Bedeutung gekommen.“ (Euphemismus arch. XI 532.) et est artis vocabulum apud medicos, cf. Theodorum Priscianum 2, 32 Rose.

In universum autem rei ipsius imago (*ὑγρὰ ὄμματα*) omnium fere est populorum communis: nam „Amor puer haeret ocellis“ (Prop. 1, 19, 5). Sicuti nos legimus apud Helveticum poetam Albrechtum de Haller „Doris“ v. 70 sqq. (p. 83. Hirzel.)

„Wann der verwirrte Blick der Schönen
„Ihr schwimmend Aug' voll seichter Thränen,
„Was sie verweigert, heimlich heischt“ (= patrans.)

vel apud Fridericum Hebbelium „Iudith“ V 1 (Werneri I p. 59, 6), Holofernis:

„Das Auge das jetzt in Wonne bricht“ (= fractus.)

Sed quae nostra in lingua sublimis quaedam et poetica lucutio, magis volgaris erit statuenda apud Romanos „patrantis“ voce

[1]) Quod recte reddidit Friedlaender hist. mor. III[6] 462: „die durch langes Solfeggieren wohlgeschmeidige Kehle“.

expressa, quippe quam Horatius carm. 1, 36, 17 („oculi putres)[1]) vitare maluerit; cuius locum a Persio imitatione expressum ratus Keller etym. lat. volg. Lips. 1891. p. 179. iniuria fortasse adnotavit: „witzige Anspielung auf Horaz“. Nam latius patet vocabuli „patrandi“ usus, volgarem potius locutionis charactera inde intelleges, quod in alia quoque carmina se insinuare potuit: „non (laudo) oculos; etenim sunt lusci oculi atque patrantes“ anthol. lat. I 902, 3 „et patrare coitum“ 358, 5 Riese. Aliter autem alii eandem rem significaverunt. „ebrios“ enim appellat Septimii ocellos Catullus 45, 11. Et apte describit rem Apuleius met. 3, 14 „oculos Fotidis meae udos ac tremulos et prona libidine marcidos iam iamque semiadopertulos adnixis et sorbitantibus saviis sitienter hauriebam.“ *μεθύων ἔρωτα* extat apud Achillem Tat. 1, 6. Anacr. 19. B. Persius autem cur non illa adhibuerit, cur non abstinuerit malo illo vocabulo si quaeris aptum habebat, quo gravissime rem exprimeret. Neque enim satis habet leviter rem tangere, mavult superare communem locutionem.

De „ocello“ audias Cohnium „Die Suffixwandlungen im Vulgärlatein“. Halis Sax. 1891. p. 17 de in — ellus desinentibus vocabulis: „solche mögen nur der Schriftsprache angehört haben.“ Etiam CIL IV 1780: „quid faciam vobis ocilli lusci“ leguntur fortasse in versu. Attamen vitatur ab optimis: nunquam legitur in Vergilio nunquam apud Tibullum, tersum illum atque elegantem auctorem, qui septies „oculos“ adhibuit; „ocellos“ scripsit Lygdamus minus diligens poeta (3, 6, 47). „Sine tuos ocellos deosculer“ mulier precatur amasium apud Plautum Cas. 136. Persius procul dubio imbecillitatem depinxit.

Usitata illa „fractus“ vocabuli ratio: Prop. 3, 21, 33: „non turpi fractus amore“; vel apud Petronium 119 (p. 85, 25 Buecheler).

„omnibus ergo
scorta placent fractique enervi corpore gressus.“

Neque a diatribarum graecis auctoribus est aliena *κατάγνυμι* vox: Musonius, p. 116, 15. Hense 1905. *σαφῶς οὗτοί*

[1]) quod „vino“ intellexit Porphyrio. Sed mollitiem videtur potius significasse. cf. Donat. Terent. Eunuch IV 4, 21, 3 (v. 688) „putri mollitia praeditam“.

γε κατεαγότες ὑπὸ τῆς τρυφῆς καὶ ἐκνενευρισμένοι παντάπασιν. alios locos vide apud Stephanum.

Quae omnia allata nolim ita intellegi, tamquam Persii locutio inde acuratissime ipsa illustretur, immo vides „fractus“ vocabulum in similibus rebus fuisse usitatum, sed etiam vides, quomodo ipse Persius in dictione componenda progressus sit. Nam quae ad corruptionem conturbationemque corporis multis libidinibus enervati proprie spectat vox, hoc loco ita adhibetur, ut quasi ipso libidinis actu debilitatem fieri cernatur.

Quare etiam in sequentibus noluit obscenitate abstinere v. 21. „Titos“ et „lumbum“ vocibus usus. Suum enim ipsius „Romulidae“ (1, 31) vel Horatianum „Ramnes“ (a. P. 342) cur hoc loco adhibere noluerit, a scholiasta recte docemur: „in libidinem pronos“ (cf. Isid. orig. XII 7, 62) voluit denotare. „Nam a membri virilis magnitudine dicti titi“. (schol.) Pro cuius fide intercessit Buecheler arch. II 120: „wir werden uns sagen müssen, daß P. durch die Wahl des Namens Titus für jene Schilderung noch einen besonders pikanten Zug gewonnen, keineswegs bloß Römertum und Adel der Zuhörer streifen gewollt hat.“ Milites fortasse talia adhibuerunt (cf. Heraeum arch. XII 266).

Huc quadrat etiam nomen „lumbum“ positum quod in re venerea praeter Iuvenalem etiam titulus parietarius Pompeianus exhibet CIL IV 1824:

„quisquis amat veniat; Veneri volo frangere costas
fustibus et lumbis debilitare deae.“

21. „Tremulo scalpuntur ubi intima versu.“

Ceteri hanc mollitiem „mulcere demulcere palpare sollicitare“ vocabulis solent denotare (conferas Sittlium de gestibus motibusque Graec. et. Rom., p. 33, 8) vel „uri titillare prurire“: „prurire maxime usitatum fuisse videtur in lingua latina ut Graeci *κνίζειν* gemellum: conferas nubem in Plauto Catullo Martiale locorum et in inscriptionibus invenitur: CIL IV 2360 = carm. lat. epigr. 45 Buech.

„amat qui scribit, pedicatur qui legit
„qui obscultat (=auscultat Marx ann. nov. phil. 1909, p. 440) prurit,
pathicus est qui praeterit.

Quae omnia ingenioso novandi artifici nostro plane erant aut re leviora aut mollia minus veluti „quod pruriat incitare“ Catulli 16, 9. Unde ars oriunda: voluit homines illos perversos quasi speculo se intueri quare fortissimis non parcit coloribus. Et cum Seneca epp. 75, 7 „quid aures meas scabis quid oblectas“ similem rem, sed leviter tetigisset, vides quam fortiter Persius rem expresserit vocabulo nova vi praedito.

22. „tun’, vetule, auriculis alienis colligis escas?
auriculis quibus et dicas cute perditus ‚ohe‘?“

De contextu sensus non est concertandum: vetulus ille libidinem vult excitare eis qui auditum veniunt, sibi ipsi plausum merere maiorem quam par est. Sed dicendi ratio unde effluxerit si quaerimus, late patet illa translatio qua e. g. Plautus (Poen. 1175.) „oculis epulas“ esse datas dicere poterat iis qui delubro ornato viso veniunt delectati. „Gustare“ quoque vel „edere sermonem“ placuit dicere Romanis (conferas alia apud Lorenzium ad Plauti Most.[2] 1063). Sed ne nimis temere volgarem quendam usum olfaciamus latinum vel etiam plebeium, ex Graecorum sunt certe nonnulla decerpta sermone. Etenim iam ex hoc Ciceronis loco: (cap. 5, 25) „sed quoniam avidum hominem ad hos discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere,“ non nulla insolita quaedam dicendi ratio est conspicua in Cicerone. Quam volgi esse propriam esse censeremus, nisi apud philosophos graecos occurreret hic usus, a Platone fortasse inventus, certe litteris inductus, thiaso eius acceptus. Nam cum Cicero (de div. 1, 29, 61) scripsit: „at qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta saturataque bonarum cogitationum epulis ...“ Platonis transtulit verba (rep. IX. 571 d.) ... *ἑστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων.*“ Quid quod etiam Agathias (AP IV, 3 = I. p. 73. Stadtmueller) „*λόγων πανδαισίας*“ (v. 2.) „*λόγων παμμιγεῖς εὐωχίας* (v. 6) scribens hac allegoria utitur „a Platone inde pervulgata *λόγων ἐράνου* et *ἑστιάσεων*, cuius convivii singula ornamenta ab omnibus illo tempore florentibus poetis acceperat“ (Hecker apud Duebnerum I. p. 55). Platoni autem re vera in deliciis fuisse *ἑστιᾶν, εὐωχεῖσθαι, ἑστίασις, θοινὴ* verbis uti translatis ad eos qui

tamquam epulis ita sermonibus, orationibus vel cogitationibus alios pascunt atque saturant vel ipsi pascuntur inter omnes constat. Locos congessit Astius ad Phaedr. 227 b. Manseruntque nomina apud posteros. Itaque cum ad magistros auditionesque obeundas conveniunt, „*ἐπὶ λόγων ἀφικνοῦνται ἑστίασιν*“ apud Plutarchum (de recta rat. aud. 42 f.) et „*καθίζονται καθάπερ ἀτεχνῶς ἐπὶ δεῖπνον ἥκοντες εὐπαθεῖν πονουμένων ἑτέρων* (45 d.). Hinc de Persii stilo in universum erit iudicandum. Licet enim interdum haec de qua modo disserui dicendi ratio in usum venerit omnium cotidianaeque quoque sit facta consuetudinis, ad plebem non descendit, immo quamquam, si ad solam orationis frontem spectas, diligentissime ac severissime elegantiae leges secutus esse non videtur, tamen non utitur nisi sermone apud philosophos oratores e vetere memoria tritissimo. In universum dico eamque noto ut proprie Persianam libertatem qua „auriculis colligere escas“ coniungere omnino potuit audere. Sed stabilitur nostrum de eius sermone iudicium, singula si inspicimus. Neque enim nihil artificii vel calliditatis adhibuit, ut triti aliquid refugeret. Neque autem ad nostrum locum inlustrandum satis est Ciceronis afferre haec verba (de senect. 13, 44): „divine enim Plato escam malorum appellat voluptatem, quod ea videlicet homines capiantur ut pisces“: Plut. Tim. 69 d. *πρῶτον μὲν ἡδονήν, μέγιστον κακοῦ δέλεαρ*. Haud parvi est momenti res; propterea ut paulo sim longior mihi permittatur. Nego enim adeo esse facilem inter „*δέλεαρ*“ graecum et „esca“ latinum necessitudinem. Notum enim est „esca“ vocem non verum esse in lingua latina graecae *δέλεαρ* gemellum ex origine. „Cibus“ potius est primum; ab edendo recte derivarunt Romani grammatici omnes (cf. Varro ling. 6, 84. Nonius 108, 19). Translate inlecebra illa denotatur. Quae cum ita sint adeo non poterant Romani facile pro „*δέλεαρ*“ „esca“ uti vocabulo ut ne nobis quidem licet „Speise“ dicere pro „Lockspeise“. Haec quamvis sit linguae inopia, erit statuenda et — quod gravissimum est — per omnes fere litteras a scriptoribus deprehenditur sensa. Nam si examinamus locos, nunquam extat „esca“ vox soluta ab „hamo“ vocabulo vel aliis piscatoriis. Livii Andronici „atque escas habeamus rursus mentionem“ (vs. 13 Baehrens

PLM. I) versus non est in censum vocandus: „*δόρπου δ' ἐξαῦτις μνησώμεθα*“ redditur Homeri δ 213. Neque quidquam proficitur ex CIL IV 1750 VICTIMAS ESC... Sed docetur Petronii 3, 4: „sic eloquentiae magister, nisi tanquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos“, et fulcitur Martialis 4, 56, 5 sq.

„sic avidis fallax indulget piscibus hamus
callida sic stultas decipit esca feras“

locis nostra opinio. Potuerunt quod quidem nos sentiamus breviores esse scriptores in imagine. Sed ne credas horum tantummodo scriptorum ingenio tribuendum, in Plautum idem valebit. Ne in eo quidem, qui in metaphoris plerumque adhibet, occurrit haec vox nuda:

Mil. 581: „numquam hercle exista nássa ego hodie escám petam“.

cf. Rud. 1238 sqq. „esca — transenna“. Asin. 219, 220: „aedes nobis area est, auceps sum ego, esca est meretrix, lectus inlex est, amatores aves“. Quid quod Cicero l. l. inepte interpretatus esset Platonem additamento illo: timuit, ne obscurus fieret Plato Romanis, nisi adiceret: „quid ea videlicet homines capiantur ut pisces“ scilicet „escam“ solam vocem interpretatus ambiguam, quam cum audiebant Romani, de cibo primum accipiebant. Unde etiam glossographorum ratio intellegitur. In glossis enim graeco-latinis plerumque *δέλεαρ* modo vel *δέλος* explicantur „esca“ vocabulo, haud vice versa:

gloss. graec.-lat. II 267, 48: *δελεαρ* hȩc inlecebra esca. Herm. Einsidl. III 256, 41: *το δελεαρ* esca. Monac. III 134, 34: *δελος* aesca, 187, 8 delos sca. Montepess. III 313, 69: *δελος* esca = 337, 68. ter tantummodo legitur *δέλεαρ δέλος* exaratum ad „escam“ interpretandum vocabulum: gloss. Servii gram. II 515, 7 escar tothelear. gloss. lat.-gr. II 62, 55 esca *δελεαρ· τροφη* (non solum igitur *δελεαρ*); gloss. Stephani III 447, 26 sq. esca *βρωσις* esca *δελος*: primo igitur loco *βρῶσις* legitur, quod alibi omnino solum est vocis „escae“ interpretamentum cum in graeco-latinis:

II 260, 35 *βρωμα* hȩc esca = III 182, 62; 254, 33; 313, 68; 511, 29.
III 129, 37 brosis aesca = 337, 16.

II 460, 15 τροφη hoc alimonium esca hoc victum hic eiuus aletudo.

tum in latino-graecis:

II 496, 67 esca βρωμα = III 468, 64. esca βρῶσις III 447, 26.

His nixus fundamentis nego ullum scriptorem potuisse audere in „esca“ voce „δέλεαρ“ in sensum adhibenda maiore illa ubertate atque plurium verborum ambitu prorsus abstinere. Persium autem cogitari nequit verba eligenda adeo inscie contrectasse neque modum neque pondus verbi distinxisse. Quare cum contra ipsum linguae latinae genium Persium pugnasse credere nolimus, quod nullo comprobari potest loco, si nudam legimus, „escam“ vocem, facere non possumus, quin aequiperemus „epulis cibo“ vocabulis, non pro „Köder, Lockspeise“ venditabimus ita ut ea voluptas intellegatur qua auditores alliciatur. Hoc autem modo demum satisfieri puto Persii ingenio. Aptissime enim hoc ipsum posuit vocabulum. Nam quae ratio intercedat inter escae cibi victus vocabula ratio, si quaerimus „esca“ a stirpe ed —, edendi aperte derivanda vox ad edendi rationem meram spectat „cibus“ est proprie, qui cum gratia quadam ac venustate sumitur, „victus“ nutrimentum ad vivendum necessarium significat, quod Donatus ad Andr. 1, 1, 48 = v. 75 ita expressit: „cibus“ est qui etiam delicatis praebetur, „victus“ in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Igitur cum Persius aurium oblectamenta appellat „escas“, meram aviditatem „edendi“ plebeiam delicatorum illorum denotat et pravam audiendi libidinem apte illustrat.

35. Ad iudicium de nostra quaestione formandum „eliquat ac tenero supplantat verba palato“ aptissima sunt et fecunda. „eliquat“ vides qua mente sit positum artificiose post versum 17. Ceterum constat ex Horatio serm. 2, 3, 274: „cum balba feris annoso verba palato“ conglutinata esse Persiana haec:

1, 33. „rancidulum quiddam balba de nare locutus“ et hic „eliquat ac tenero supplantat verba palato“. Heroi exitus idem nec tamen plura. Etenim prorsus in alium sensum verba detorsit suoque more insolentius dixit. „Supplantat“ enim quid sit Nonius edocet p. 36, 2: dictum est pedem subponere, ὑποσκελίζειν gloss. II 193, 22; 467, 43 συμποδίζειν II 443, 5. Sed ne volgarem dicas locutionem, Lucilium 915: „supplantare aiunt Graeci . . .“ quamvis cum Marxio latinum vocabulum primum finxisse poetam non crediderim, tamen ne volgariter quidem hoc loco puto effari, immo fortasse docte quodammodo diversam latinae et graecarum vocum originem distinxisse. Nam ὑποσκελίζειν est „subiecto crure prosternere“, „supplantare“ dictum „supponere pedem“ (Non. 36, 2); nam „planta“ est πέλμα ποδός (gloss. III 249, 17. cf. Fest. Paul. p. 231.) vel σφυρὸν ποδός i. e. ipsum talum significat (gloss. II 449, 53 saepp.) vel πτέρνα (gloss. II 425, 27). „Supplantare“ igitur graecum aequat συμποδίζειν (gloss. II 443, 5) πτερνίζειν (II 425, 28.) Quamvis igitur negem vocabulum Lucilio novatori deberi constare videtur id dictioni elegantiori si non reservatum, tamen aptum fuisse usum.[1]) Abunde praeter Nonium est Petronius quomodo volgus elocutum sit testis cap. 57, 10: „et habebam in domo qui mihi pedem opponerent hac et illac.“ Sed quo magis appareat Persii dicendi esse libidinem, „supplantat verba palato“ dixit i. e. tortuoso illo palati inflexu (cf. ad 1, 17) fit, ut verba non recta pronuntientur, immo quasi prostrata ex ore evadant, quod cum scholiasta interpretatur: „immutatis accentibus curtat“ sane non abest a vero. Neque ante eum neque postea ausus est quisquam effari.

47. „neque enim mihi cornea fibra“. Hoc primus effinxit, imitati sunt posteri Cyprianus Gall. heptat. 297 Peiperi: „cornea fibra quae fuerat in rege redit“. Sidonius epist. 8, 11, 3. v. 20: „corneasque fibras“. Sane ad volgarem sermonem paulum accedit cf. Petron. 43, 7 „corneolus fuit“. Aptissime hoc modo dicitur robustus quidam. Nove Persius vocem ad fibram transtulit, sane ut ad animum, non ad corpus spectaret contra usum et fortissime hoc modo quasi duritia animi i. e. atrocitas exprimeretur. Huius acuminis causa sane evitavit vocabula hac in re calcata „ferreus durus“ (cf. Tibull. 1, 2, 67; 2, 3, 2.)

57. „aqualiculus“ vox primum hoc loco extat in litteris; apud Senecam autem epp. 90, 22 secundum Bambergensis optimi in hac parte codicis (cf. Hense. praef. XXXI.) auctoritatem

[1]) Nec Ciceronis (de off. 3, 10, 42) nec Senecae (ep. 13, 2) locus volgaritatis prae se fert speciem.

restituendum „aequali". Quid sit Caper docet orth. GL. VII 101, 14 venter aqualiculus, gloss. II 514, 29 gastrion, V 549, 31 ventricolus all. V 167, 44 pinguidum super umbilicum. Proprie autem porci est, hinc ad ventrem translatio. (Isidor. etym 11, 1, 136.) Translate adhibuerunt Augustinus Hieronymus, cuius Jer. 13, 12: „et protento aqualiculo" haud paulum hoc Persianum redolet. Dubitari non potest, quin Persius colorem volgarem adfectare quam elegantius eandem rem exprimere maluerit; immo potius ridicuiam rem ridiculo nomine inquinavit, nec tamen trito et usitato; haud enim ita volgo esse dictum Buecheler mus. Rhen. 37. (1882.) 523. comprobavit.

58. Difficilius est iudicatu de hoc versu: „o Jane a tergo quem nulla ciconia pinsit". Nam soli fere Persio debemus huius rei et dictionis memoriam (conferas Sittlium de gestibus motibusque Graec. et. Rom. Lips. 1890. p. 109.). Res a scholiasta explicatur: „Janus dicitur bifrons esse, qui nec poterit derideri nec ei a tergo sanna fieri. ciconia dixit, quia manus solent formare inrisores unitate (collatis digitis ait) ad inferiorem partem inclinata ad similitudinem ciconini rostri. pinsit, assidue percussit, dictum a pistoribus". Sed maxime haeremus in „pinsit" vocabulo. Comprobatur autem scholiastae huius vocis interpretatio glossographorum adnotationibus: est enim = „tundere ruminare comminuere conterere illidere" V 380, 38; 576, 3; 645, 40. Nonius p. 152, 11 sc. far maxime (Varro Cato). Servius Aen. 1, 179: „quia apud maiores nostros molarum usus non erat. frumenta torrebant et ea in pilas missa pinsebant et hoc erat genus molendi, unde et pinsores dicti sunt qui nunc pistores vocantur. pinsere autem dici Persius probat." Qua ex nativa verbi notione oportet etiam Persiani loci interpretationem exire, nisi translato quodam sensu adhibitum verbum ex litteris latinis possumus probare in Persio. Duas autem maxime videntur a re molaria Romani traxisse dicendi rationes. Quarum alteram, quae non nihil obscenitatis habebat, ex Catonis sermocinandi vetustate Horatius memoriae tradidit (serm. 1, 2, 35) „permolere uxores" i. e. subigitare (Ps.-Acro). Quae in plebe vigebat: Lucilius 278: „hunc molere, illam autem ut frumentum vannere lumbis". Petronius 23, 5: „super inguina mea diu multumque frustra moluit". Haud ita multum

rei tribuerim, sed moneo hac quidem in re „molendi", non „pinsendi" verbum apud plebem fuisse in usu. Ceteroquin res ipsa in Persium non valet. Altera autem ad manducandi motum spectabat: cf. Pomponius Bonon. 187/8. Ribbeck CRF[3] p. 306: „cum interim neque malis molui neque palatis pinsui" unde *μύλοι οἱ ὀδόντες* apud Graecos vocabantur (Suidas s. v. Pollux II 92, 93); *στόματι γὰρ μύλλειν ἐστίν* (Eustath. p. 1798, 43). Quo sane revocarunt Casaubonus Jahnus qui de ciconia rostro pinsente i. e. crepitante vel crotolante (cf. Sueton. prat. p. 251, 3 Reiff. CRF[3] p. 369, 6 Ribbeck) cogitabant. Nec tamen equidem nodum in scirpo ut aiunt quaerere maluerim quam ad minus difficilem interpretationem recedere, si patet. Nam etsi mirabile mihi non esset in Persio cogitandas esse manus irrisionis causa ita curvatas, ut digitis motis tamquam ciconiae manducantis rostrum levandi ac deponendi consuetudinem imitarentur. inde locum explicare accusativi (quem pinsit) ratione vetamur; quare Persium hic aliunde explicandum existimo. Nam latius patebat is usus, quo poterant dicere „flagro pinsetur" i. e. verberibus castigabitur Plautus Merc. 416. vel „pinsunt terram genibus" Ennius ann. 351. V.[2] „cubitis pinsibant humum" scen. 411.

Recto igitur stat talo scholiographi ex nativa vocis significatione oriunda interpretatio: „pinsit" = assidue percussit, quam recepisse video editorem Hungaricum: „ciconia quasi rostro percutit tergum eius qui deridetur". Nec tamen haec est ea, quam volgo facile imputaverim, breviloquentia. Nam mens est novatoris artificis conspicua quippe qui id egerit, ut uno stilo duas res exprimeret scilicet et irrisionem denotaret et effigiem irrisionis graphice describeret. Et pro gestu ipsam ciconiam rostro agentem animo complecti ac ponere — talia sunt imprimis in Persii deliciis. Sed ut videas, quomodo aliter possit haec res volgo significata cogitari, scripsit Hieronymus prol. in comm. in Sophon. t VI. B, p. 671. (Lübeck, p. 196: „numquam post tergum meum manum incurvarent in ciconiam?" vel ep. ad rustic. CXXV 18 t. I B, p. 945, „aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari aut manu auriculas agitari asini aut aestuantis canis protendi linguam". (Jahn.) Qui cetera Persiana stricte fere imitatus hoc uno artificiolo plane consulto abstinuit.

64. „per leve severos effundat iunctura ungues.“ Audacissima haec est dicendi ratio ex talibus qualia sunt Horatii „externi ne quid valeat per leve morari“ (serm. 2, 7, 87.) „ad unguem factus homo“ (ib. 1, 5, 32.) contaminata. Et egregie ex hoc ipso quoque specimine cognoscitur, quomodo sub manu ut aiunt artificis omnia fere vel ipsa quoque inanima quasi vivescant. Nam hic effundere iunctura dicitur unguem, cum proprie unguis superductus non offendat (schol. et Porphyrio Hor. s. 1, 5, 32.).

80. „sartago“ cum aliud quicquam esse nequeat nisi τήγανον gloss. saepp. GL. IV p. 582, 48. et a strepitu soni vocata sit cum in ea ardet oleum (schol. et Isidor. de variis coquinariis orig. 20, 8, 5) vel significetur coquinaria patella gloss. V 513, 24, non trita quadam nota sermonem apparet signavisse Persium, ita ut dubitare potuerit, an omnino non recta scriptura, Bluemner, qui proposuit Fleck. ann. philol. 34 (1888) 298: „farrago“ conlato Iuvenalis loco 1, 86: „farrago libelli“, nullo certe iure; nam hunc inopinatum dicendi usum Persio adsignare quam codicum et scholiastae de explicatione iam haerentis („sartago metaphora pro garrulitatis ardore et argutae sine sensu, qualis est strepitus sartaginis“ quod improbare nolo) auctoritati fidem abrogare malueris. In Persio iterum inest compositioni novitas, quae sane in eo latet, quod „sartagine loquendi“ vult ex variis sumptam atque mixtam dicendi rationem, confusum genus dicendi significare.

87. „An Romule ceves?“ (Plaut. Mart. Iuv.). Obsceno hoc verbo significantur ii qui in libidinis actu clunes agitant. Neque aliam vulgo fuisse usitatam vocem ex testimoniis elucet: gloss. „clunes agitó“ V 616, 40 „crisare (altero „s“ deleto scribendum Lachmannus docuit ad Lucret. 4, 1275) mulierum, cevere virorum est schol. Iuven. 6, 322. Et idem sibi velle gloss. II 357, 6: κύπτω V 653, 35: „inclinatur“, IV 319, 36: „inclinat se vel insidiat“ et Iuvenalis docet „inclinare“ bis obscene usus (cf. schol. 2, 21, „inclinatum sc. ad stuprum“) et puer Pompeianus ille qui in pariete ascripto „inclinabiliter“ subscripsit „ceventinabiliter“ (carm. lat. epigr. II[1] 356) forma ioculari populariterque ficta. Res aperta est: iudicii tui perversitas (cum „bellum“ hoc tibi videatur) morum perversitatis suspitionem facit; neque quicquam perversius potest cogitari quam

si homo Romanus i. e. virilis κατ' ἐξοχὴν pathicus est. cf. Catull. 29, 5: „cinaede Romule, haec videbis et feres?“ Malo verbo usus est morum castigator noster indignatus, sed haud minus delectabatur rhetor antitheto suo, quippe quod natura innatum sit rebus, non sit ut illorum innanis verborum tinnitus.

Neque tamen „cinaedus es“ scripsit, sed „ceves“ sane fortius, ut quasi actus ipse cerneretur, ut artis eius mos est.

103. „si testiculi vena ulla paterni viveret in nobis“. Horatius non prorsus simili loco ep. 15, 12: „nam si quid“, inquit, „in Flacco virist“. Persio indignatio fecit verba. Sed quomodo lector Romanus haec acceperit, ut perspicias, usus loquendi saturae inde a prisca comoedia erat trita: Aristoph. Lysistr. 661: ὅστις γ' ἐνόρχης ἔστ' ἀνήρ. In lingua latina autem extabant apud populum „testiculi“ voce sordidiora: „si coleos haberemus“ (Petron. 44, 14, saepp.) vel „polimina, polimenta“. (Keller comment. gramm. p. 182.) Quae ad infima Persius descendere ita noluit ut Catulli delicato vocabulo uti: „gemelli“ 57, 6. (cf. gloss. testiculi δίδυμοι ὄρχις). Et quam quaesite posuit: „testiculi vena viveret!“

119. „Men muttire nefas“, conferas Heraeum p. 15. Ex leviore quadam dicendi consuetudine fluxisse constat. Quare ut Ciceronianarum epistularum stilo haud indignum in epistula ad Att. XIII, 52, pro „non mutavit“ in textum restituere non dubitaverat Hirschfeldius Hermae 5. (1871.) 299; verumtamen hanc lectionem contra codicum auctoritatem suo iure recipere noluerunt novissimi editores Tyrrellius et Purser Angli (ed. epp. Cic. vol. V. p. 187.). Neque vero meliorem maluit Persius usurpare vocem „non tacere“ vel „hiscere“ (Heraeus l. l. Krebsius-Schmalzius Antibarbarus[7] 1907. II. p. 117.) quam Lucilii se praestare imitatorem, qui simillimum in modum v. 426: „non laudare hominem quemquam neque mu facere inquam“ etiam minus eleganter dixerat quam est „muttire“, quod cum ne Terentius quidem sit aspernatus, pessimae consuetudinis fuisse nequit. Inelegantius certe erat etiam auribus Romanorum Plauti Rud. 1029: „mussitabo“.

132. Cui apud Horatium serm. 1, 3, 134. vellunt barbam „lascivi pueri“ Stoico, „nonaria“ apud Persium, sane ut ridiculam et lascivam vim etiam augeant contraria, i. e. si videas „meretricis manum delicatam philosophi barbam tenentem“. (schol.)

Quae res habet etiam peculiare quoddam acumen, si scholiasta recte de Diogene cynico et Laide meretrice cogitavit. Sed hoc incertum. Sane Persius ut nequissimam et infimae faecis significaret, peculiari nota usus est. Nam ipsum vocabulum haud scio an non usitatum fuerit. Neque enim legitur nisi altero loco schol. Iuv. 6, 116. neque glossographi exhibent. Nec tamen plebi tribuerim. Nam praeter „meretrix scortum paelex amica“ voces tritas plebeium maxime erat vocabulum „lupa“ Plaut. Epid. 403. all. cf. gloss. V 29. 38: „lupam meretricem vel a rapacitate vel a libidine huius animalis, unde et „lupanar“ dicitur.“ Cic. Mil. 55: „ille qui semper secum scorta semper exoletos semper lupas duceret“ scilicet cum gradatione ad peius dictum. Unde et Trimalchio (Petron. 37, 6): „haec lupatria omnia providet“ (cf. Ortmayr. stud. Vindob. 28 (1906) 168.). Catullus 42, 13: „moecha putida . . . lutum lupanar“. Hic plebis erat sermo. Unde fortasse Cyprianum et Commodianum arripuisse me docuit Bayardus de latinitate St. Cypriani Lutet. Paris. 1902. pg. 29.

Satura II.

1. „diem numera meliore lapillo.“ (Statius. Martialis.) De re conferas Jahnum Heinzeum ad Hor. s. II 3, 246 Friedlaenderum Martial. 8, 45, 2. Metri iniquitate coacti sunt versificatores, ut volgari abstinerent vocabulo, quod qui arti minus operam dare debebant adhibuerunt: „album calculum“: Thes. L. L. III. 192, 19, quem „lapidem candidum“ Catullus poeta nominavit. (68, 148.) Persii dicendi libido in eo est, quod eundem „album“ vel „candidum“ lapillum dicit „meliorem“.

7. „Aperto vivere voto.“ De re audias Sudhausium „lautes und leises Beten“ in Arch. f. Rel.-Wiss. IX. (1906.) 185 sqq.: „das aperto vivere voto ist eine Forderung der Moral und des Anstandes zugleich“. (p. 199.) Sed sermonem ipsum ex Persii profluxisse ingenio est monendum. Neque enim satis habebat Pythagoreorum illud *μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι* (Clemens Alexandrinus strom. IV 171, 1 (II. 324, 6 Stählin) significare, id quod Latini „palam vota facere“ (Sen. de ben. 2, 1, 4), „palam rogare“ (Sen. ep. 10, 5), „voce palam vocare“ (Tibull. 2, 1, 84) voce vocare“ (Verg. Aen. 4, 680 all.) nominarunt, voluit Persius bonum

voce vocandi morem verbis exprimere. Et sane laudanda est quam assecutus est breviloquentia et elegantia.

10. „o si ebulliat patruus.“ Plebeium hoc unde sit ortum in dubio non relinquunt veterum testimonia: Isidor. orig. 20, 8. 2: „olla dicta pro eo quod ebulliat in ea aqua igni subiecto, ut altius vapor emittatur. Unde et bulla dicitur, quae in aqua venti intus spiritu sustentatur.“ gloss. II 290, 9: *ἐκζέω* II 58. 9: *ἀναβλύζει* II 59, 10: *ἐκβράσαι*, gloss. Tapp. Horat. c. 2, 7, 15: „unda fretis tulit aestuosis“] ebullientibus. Nonius 26, 19: „ebullire est ecfervescere: a bullis dictum“ itaque etiam Varro r. r. 1. 1. 1: „homo est bulla“, Petron. 42, 4: „non plus sumus quam bullae.“ Seneca apoth. 4, 3: „Claudius animam ebulliat.“ Petron. 62, 10: Niceros: „paene animam ebullivi“, 42, 3: Seleucos: „Chrysanthus animam ebulliit.“ Homines igitur rustici apud Petronium adhibent. „rebullire spiritum“ Lucius apud Apuleium met. 1.13. Ipse Trimalchio elegantius est locutus Petron. 74, 2: „aut aliquis in vicinia animam abiciet.“ Persius videlicet sordidum illum hominem, qui talia effatur audetque precari, sordida voce usus depingere voluit.

Qua in re pergit eloqui „pupillum expungam“ (11) et „scabiosus est“ (12) usus dictionibus. Nam illum argenti cupidum et in re nummaria totum nummaria usum facit voce loquentem (cf. „nomen expungere“ Plaut. Sen. de ben. 4, 40, 4. nubem locorum apud Roenschium Ital. et Vulg. p. 386). Et „scabiosus“ non nisi de bestiis (Columella de bove) usurpaverunt homines culti.

Satura III.

9. „findor“ scilicet ira (cf. Plaut. Bacch. 251.) de homine illo deside eloquitur sane haud ita usitato vocabulo ut „rumpor“ est in illo notissimo Martialis carmine 9, 97 (rumpitur invidia) et apud Horatium „rumperis et latrat“ (serm. 1, 3, 136). Nam „rumpi als Ausdruck für überstarken Affekt oder seine Äußerung gehört der Vulgärsprache an“. (Heinze ad Lucr. III 297. extr.) Quod evitavit Propertius 1, 16, 48: „differor invidia“.

10 sq. Sequitur lata desidiosi et litterarum studii fastidiosi calamitatis descriptio. Cuius et stilus et colores debentur Horatii ipsius sterilitatis adumbrationi ioculari (serm. 2, 3).

Sed quae Horatius adumbraverat tantummodo, non parcit Persius verbis, ut fusius describat: Horatius v. 7: „culpantur frustra calami“: Persius: „tunc querimur, crassus calamo quod pendeat umor“. Nec quae non erat necesse proferri Persius omisit, videlicet ut *ἔκφρασιν* constitueret: ut „positis bicolor membrana capillis“. Quae verba explicavit Birtius „Antikes Buchwesen“ 1888[2] p. 60: „Das Pergament ist zweifarbig dadurch, daß die Haarseite des Leders geglättet ist“. Quod ipsis verbis non commemorat nisi qui arti studet eximiae. Nec desunt perpetua epitheta, ut aiunt, mere ornantia ut: „n o d o s a q u e venit harundo“. Ceteroquin hic locus eximium est artis Persianae testimonium. Ac primum quidem, ne molestus esset in iisdem vocabulis repetendis, sermonem artificiose variavit: v. 11: harundo, v. 12: calamo, v. 14: fistula. Qua in re quam exquisite posuisset „fistulam“ vocem pro cannali calamo iam scholiasta animadvertit. Quae vox omnino non legitur hoc sensu iterum in litteris, neque glossis exhibetur nisi avenae notio (*σῦριγξ* III 79, 25; 171, 16; 204, 6 all.). Nec volgo tribuemus. Nam haec sane omnibus cum scriptoribus aut „harundinem“ vocabat aut „calamum“ aut „cannam“, qua voce iam antea vilis harundinis genus significari solebat (Columella 7, 9, 7. comment. Lucan. 5, 517.), postea magis magisque in usum venisse videtur et res et vocabulum: conferas Zenonem episc. Veron. tract. 2, 13, 5 Migne: „scribens canna divisa est, sed unus calamus“. edict. Dioclet. 10, 17: „thecam cannarum quinque“. gloss. II 337, 17: *κάλαμος μεθ' οὗ γράφομεν*, canna, 18: *κάλαμος* harundo. — Et maxime versus 13. est dignus, qui eximia nota designetur:

„nigră quod infusâ vanescit sepiă lymphâ.“

Ac primum quidem monendum Persii saltem temporibus Romanos „sepiam“ nondum nominasse nisi ipsum piscem. Quid quod etiam in Ausonii versibus (p. 248, 74 sqq. Peiperi) legimus:

„Cadmi nigellas filias (litteras in Graeciam attulisse e Phoenice
Cad mumsedecim numero Plinius tradidit: n. h. 7, 192.)
Melonis albam paginam (Melinum candidum ipsum quoque est,
optimum in Melo insula inveniebatur teste Plinio 35, 37.)
notasque f u r v a e s e p i a e
Gnidiosque nodos prodidit“.

Quod quidem „Cadmi“ et Melonis“ et „Gnidios“ indicent, genetivus auctoris etiam „sepiae“ vult intellegi, igitur piscis ipse quoque designari. „A t r a m e n t u m“ autem semper et ubique esse dictum omnia videntur testari. De „sepia“ usu tacent et grammatici (veluti apud Ps.-Acronem Horat. serm. 1, 4, 100 non fit mentio: lolliginis genus piscis maritimi sucum a t r a m e n t o similem habens, lolligo genus piscis est, quo a t r a m e n t u m fit) et glossographi, qui „sepia“ vocabulum „*σηπία*“ explicant voce (cf. gloss. VI 2, p. 257 nubem locorum), „atramentum“ exhibent ut librarium: II 22, 23 *μελάνιον*, III 568, 31: malanografico i. adramento pioturia dequo subtecto fit adscribendum. Deinde, atramentum legitur, ubicumque licet inspicere sermonem cotidianum simplicem omnique adfectatione solutum velut in Ciceronis nostri simillimo loco (ad Quint. fratr. ep. 2, 14, 1): „calamo bono et a t r a m e n t o temperato, charta etiam dentata res agetur“. Et in legibus occurrit publicis: CIL I, 198, XIV, (p. 58): „h(ace) l(ege) CDL vireis in eum annum lectei erunt ea nomina omnia in tabula in albo a t r a m e n t o scriptos patrem tribum cognomenque tributimque discriptos habeto“. Denique accedit, ut in Romanis quas dicimus linguis sepiae ut vocis popularis non solum, sed omnino nullum vestigium extet. Nam apud Sardos „atramentum“ audit „tramenta“, apud reliquos aut „encaustum“ aut „tincta“ valuerunt (Koertingius lex. lat.-rom.[3] no: 1008). Igitur „sepia“ vocabulum non erat usitatum, nota erat res. Nam quamvis ex sepia atramentum omnino non esse confectum Plinius doceat n. h. 35, 41, 43 („e fuligine fit . . . e carbonibus, mira in hoc saepiarum natura, sed ex iis non fit“), tamen recte iam Jahnus admonuit Plinium ibi de coloribus pictorum potissimum agere, atramenti librarii non nisi obiter facere mentionem. Fortasse rectius scholiasta adnotavit haud ita fuisse i n u s u ex sepia ut ex fuligine factum.

Quae cum ita sint, audacissimum constat et satis insolentem sermonem Persium redditurum fuisse, si alio prorsus vocabulo voluisset „atramentum“ ipsum signare librarium. Voluit autem sane Persius paulum aliter percipi haud ita tamen minus insolenter expressum. Nam, quod quidem doceamur contextu et sensus et verborum; nimirum morosus ille primum nimis crassum humorem calamo haerere queritur: qui tamen tolli

potest aqua infusa. Sed nimis multa aqua infusa tollitur ater crassus humor, tollitur autem misere etiam innata et ad scribendum apta vis, quod atramento nimis liquefacto guttas distillans calamus chartam maculat (ita Jahnus). Qua in re sane optima posuit „sepia“ vocem, quippe qua fortius vertatur animus legentis ad rem ipsam spectandam: scilicet non modo ater color melius depingitur, sed etiam simul crassus ille humor denotatur, quo etiam sepias pisces magis quam ipso atro colore illius liquoris se tutari etiam antiquis erat notum temporibus (cf. Cic. de nat. 2, 50, 127).

3, 16 sqq. „cur non potius“ adversario ait poeta,

„teneroque columbo
et similis regum pueris pappare minutum
poscis et iratus mammae lallare recusas?“

„Tu“ inquit poeta, „ita te geris ut infantem decet delicatum“; nam, ut ait Seneca de ira 2, 22: „nihil magis facit iracundos quam educatio mollis et blanda: ideo unicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. Non resistet offens is cui nihil unquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater abstersit, cui de paedagogo satisfactum est“. (Jahnus). E Stoica sane profluxit populari philosophia locus et sermo de vivo videtur sermonis usu esse haustus. Nam primum quidem recte adnotavit scholiasta columbo pueros esse intellegendos quos quae nutriunt blandientes columbos et passeres et pullos vocant. Nam antiquitus talia blandimenta in sermone Romanorum inveterasse et antiqua et nova docent exempla. Quorum paene indicem praebet Plautinus locus in Asinaria 693 sq. etsi amatorius, tamen rei testimonium: (Libanus ad Philaenium):

„dic igitur med aniticulam (Entchen) columbam vel catellum hirundinem monerulam (= monedulam, Dohle) passerculum putillum“.

Etiam in Casina 138. blanditur mulier amasium sic allocuta:

„meus pullus passer mea columba mi lepus.“

„Strabonem filium“ appellat „paetum“ pater nimis indulgens „et pullum“ apud Horatium serm. 1, 3, 45. Et Caligulam primum a Miseno urbem ingressum populus salutavit „sidus et pullum et pupum et alumnum“ (Sueton. Cal. 13): Heraeus arch. XIII 161. Sane talia blandimenta etiam in nutricis cellam facile intrarunt.

Quo etiam „pappare minutum“ spectare mihi videtur. Quae dicenti ratio unde orta sit prave codicis Vaticani gloss. V 525, 15. auctor: „papilla caput est mammae de qua exit lac unde factum est ut dicamus infantibus papa idest manduca papare enim dicimus non pappare nam et ipso motu labiorum id ostendimus.“ Quam pravam dixi explicationem de origine vocis. Tamen usus recte explicatur. De vocis scriptura unice vera et antiqua „pappare“ adeas quaeso Loeweum in Plautini Epidici editione Goetziana, p. XXV. „Pappare“ autem „edere manducare“ volgariter esse dictum praeter locum laudatum testis est Plautus Epidic. 727: „novo liberto opus est quod pappet. — dabitur, praebebo cibum.“ Et in glossis iterum legimus: papat *μασᾶται* (ißt, kaut) II 141, 53. Aliis autem locis in litteris Romanorum non invenitur, quippe quod ut volgare litteris non fuerit dignum. Persii autem est statuenda infantium balbutientium sermonem imitatae nutrici adaptata enuntiatio. Etiam in „minutum“ vocabulo. Hoc est pappare mansum ex nutricis ore datum. Sic enim non est veritus eloqui Cicero de orat. 2, 39, 162: „. . . qui omnes tenuissimas particulas atque omnia minima mansa ut nutrices infantibus pueris in os inserant.“ Addas Lucilium 1046: „sperans . . . mansum ex ore daturum“. *ψωμίζειν* dicunt (adescere gloss. II 481, 41 all.) quibus mansum est *ψώμισμα*: cf. gloss. II 481, 42 *ψωμιον* buccellum Galen. XV. p. 395. 3 Kühn. schol. Aristophan. equit. 716: *τὸ δὲ ψωμίζεσθαι ἐπὶ τῶν μικρῶν παιδίων λέγεται.* Quod cum „minutum“ voce habemus expressum, non mirabimur nec non licebit cum illis consociare, quamvis propter latinorum testium egestatem in certissimo non nitamur fundamento. Tamen constat ex locis de „mansum“ laudatis elucere nullam infantium sermonis imitationem, in Lucilio sive Marxii procul dubio veram sequimur interpretationem de matre adulescentula a nutrice decepta cogitantis sive cum Heraeo (arch. XIII 164 adn.) facimus indignatum adulescentem locutum: „in der Hoffnung, mich mein Leben lang wie ein Balg behandeln zu können.“ Immo potius „pappare minutum“ ex ore infantium depromptum, etsi demonstrari non licet, nostro iure opinabimur; tam enim

pueriliter formatus est sermo, ut primum statim ori infantis incerto imputes. Accedit, quod omnino latior extitisse in volgari videtur atque cotidiano sermone illa vis vocabuli. „Minuti“ enim audiunt pisces apud Terentium Andr. 369, Suet. Aug. 76. „Minutulos“ procurant pueros infantes nutrices apud Plautum Poen. 28. Di discernuntur „magni minuti“ in Cist. 522. Et Cyprianus 384, 25: „minuta mittentem“ significat nummum minimum, Graecum *λεπτὸν νόμισμα*.[1]) Qua in varietate non est dubium, quin nostrum quoque „minutum“ in cellae parvorum sermone volgari locum habuerit et glossographi II 129, 45 *λεπτάριον* (cf. *λεπτομερὴς* II 359, 40) *ἐλάχιστον* huc quoque spectent. Et si nostrorum licet imitari titubantiam linguae: „kleines pappen . . .“ pro „das von der Amme Vorgekaute haben wollen“ etiam infantem Romanum sic effatum cogitari potest.

27. „An deceat pulmonem rumpere ventis“. „rumpere“ vocabulo concitationis animi fastigium denotari solet sermone volgari (conferas Heinzeum ad Lucret. 3, 297). „Findor“ eodem sensu supra adhibuerat poeta (3, 9). Sed ut Lucreti „pectora rumpere“ de leonibus qui tantum roboris prae se ferunt, ut fremitu pectora rumpere videantur, magis et egregie dictum, sic etiam apud Persium in arroganti (cf. schol.) homine describendo atque superbia tumido pigmenta conspicua sunt artificio obducta magis quam nativi colores. Scilicet „pulmonem rumpere ventis“ de homine illo inflato item ridicule erat dictum ut „pectora“ de leone honeste.

34. „Demersus summa rursus non bullit in unda“. Licet hic iterum examinare Persii consuetudinem. Vocabulum „bullit“ est onomatopoeticum quod dicimus, aetate latina vetustius, nam ad indogermanicam stirpem reduxit Iohannsonius Zs. f. vgl. Sprachforschg. 36, 363. quaest. indog. 14, 329. Certe erat in re physica artis vocabulum: *ζέω* gloss. III 255, 11 *Ζεειεπιθερμου* II 322, 9 scatet (hervorsprudeln) fervet V 404, 22; 272, 44 deinde: *ἀναπηδῶ* Martyrii de B. et V. GL. VII 195, 1 K.

---

[1]) Mitto affere apographorum in Petronio 32, 1: „minutissima cervicalia“ lectionem. Benevole coniecturam suam mecum communicavit K. Meister nunc Berolinensis: „mundissima“. cf. Weymann. BphW 1907, 294.

Quare non miramur in Vitruvio legi et Celso et maxime frequentare scriptores rei coquinariae: cf. Apicius 2, 50 Schuch: „facias ut ferveat, cum bene bullierit, amolo obligas spisso“. 4, 119, 145; 8, 364. In carmine non habet locum, epici elatique stili scriptores repudiant, sed naturae convenienter dicendo Persius vivaciorem efficit imaginem (nam „non bullit“ est „non resurgit“) quam si sine colore scripsisset cum Cicerone de fin. 3, 14, 48 in loco nostri simillimo ipso quoque plane Stoico „ut enim qui demersi sunt in aqua nihilo magis respirare possunt . . .“

48sqq. His in versibus puerilibus in describendis oblectamentis amasse nostrum videmus cotidiani sermonis inornatam simplicitatem. Quod, ut uno ostendam exemplo praecipuo v. 51: „buxum torquere flagello“ dicendi rationem communi quodam in usu atque in puerorum Latinorum more et sermone esse versatam potest demonstrari. E buxi enim arboris ligno eiusmodi crepundia aliasque res minutas veluti pectines tabulas sorticulas (CIL I. 198, 51, p. 61) tibias tornare solebant Romani (cf. Stadlerum thes. II, col. 2264) et immutate hoc nomine ipsas res denotare.[1]) Igitur ab initio elegantiorem rei usitatae vocem nostro loco non praesagiemus immo buxum proprium ipsius quoque lusorii instrumenti nomen apud pueros Romanos fuisse statuemus.[2]) Et probatur opinio, cum Vergilii Tibulli artes respicimus:

Aen. 7, 378—383:

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo.
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis, stupet inscia supra
Impubesque manus mirata volubile buxum
Dant animos plagae . . .“

---

[1]) Quapropter haud scio an non prorsus recte iudicaverit Sudhausius Hermae 42 (1907) 481, ad Verg. 9, 619 et Ciris 166: „Die Metonymie, die Vergil schwerlich erfunden hat, wird von den Neoterikern gebildet sein.“ Quidni liceat suspicari etiam latius patuisse usum poetis videlicet maxime adamatum?

[2]) „Volgare“ nominavit buxum Propertius III, 23, 8.

Tibullus 1, 5, 309:

„Ut per plana citus sola verbere turben
„Quem celer adsueta versat ab arte puer.“

Qui tritum effugerunt vocabulum, cum „turbo“ scripserunt. Nam quam non fuerit usitatum, inde elucere mihi videtur, quod magna cum diligentia nimiisque ambagibus quam res comparandi causa poscebat quasi interpretationem quandam praebere videntur lectori vocabuli reapse tamquam paulisper obscusioris. Sed dictionis elegantia antecellere videntur Latini Callimacho. Qui cum seripsit epigr. 1, 9:

οἳ δ' ἄῤ ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.

βέμβιξ usus vocabulo posuit non poeticum, immo quod proverbii loco stare poterat: Aristoph. av. 1460: *πάντ' ἔχεις.*

βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ. Ubi ex scholiastae interpretatione: *ὁ δὲ βέμβιξ ἐργαλεῖόν ἐστιν ὃ μάστιγι στρέφουσιν οἱ παῖδες* (cf. Persius: torquere flagello) simplicem ac pervulgatam intellegimus rei fuisse significationem, quippe cum alteram non haberet, qua nomen explicaret. Male autem tollit crucem interpretationis Suidas: *βέμβηξ δὲ ὁ ξύλινος στρόμβος* poetica scilicet voce substituta. Nam *στρόμβος* poeta erat dignum vocabulum. Casu est factum, ut *ἅπαξ εἰρημένον* extet apud Homerum Ξ 413: Aias Hectorem *στρόμβον δ' ὣς ἔσσευε βαλών.* Quem ad locum manibus tenemus interpretationem scholiastae: *λέγει δὲ τὸν καλούμενον βέμβικα.* Hoc usitatum erat vocamen, illi autem (*στρόμβος*) totum respondet latinum „turbo“, quod Tibullus poeta elegantissimus solum, Vergilius prius adhibuit, variandi causa sane tantummodo buxi voce mutuatus. Et rationem si quaeris et qua arte in ipsum „turbo“ vocabulum incidere potuerint illi, Charisius iam apte explicavit G. L. I, p. 145, 11: „et ita putant dici debere, hic turbo, quia et homo et tempestas et buxum eodem possint nominativo perhiberi.“ Summo igitur consilio et arte erat positum. Sed orationem calamistris inurere hoc loco noluit.

81. „Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt“. Ut *ἐνδιάθετον* (Acro ad Horat. serm. 1, 4, 138) cogitantium sermonem illustraret murmuratum, tanta adfectatione obscuravit

sermonem, ut latine paene iam non loquatur. Nam „rodere“ dentes volunt intellegi vel cogitationem murmure agitantes (Quintil. 10, 3, 15) vel tacentes: Sittlius de gestibus Graec. et Roman. Lips. 1890, p. 54, 6. Igitur licet sit „rodere“ volgare vocabulum, haud scio an non cum „silentia“ accusativo coniungendi ratio, certe non pluralis usus volgaris. Et ipsa quoque „rabiosa“ vox certe nimis est aspera et volgaris (cui egregie operam dat Cicero Tuc. 4, 22, 49). Atcontra silentia ipsa „rabiosa“ vocandi et coniungendi ratio est quaesitissima. Quam posteri ex Persio imitantes deprompserunt: S. Aurelius Augustinus: „rodunt murmura salebrosa“ (corp. eccl. 51 (1908), 185, 18 Petschenig.) et auctor ille qui „commeditantes murmure concluso rabiosa silentia rodunt“ ut Persius pro „rabiosi s. r.“ scripsit (anth. lat. II, 645, 24, p. 98 Riese).

86 sq. „his populus ridet multumque torosa iuventus
ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.“

Ipse poeta iterum utitur verbis satis lectis. Et primo cuique obtutu elucet non rustici hominis rudis lingua, sed ars et manus artificis. Nam „ingeminat“ primum elato stilo reservatum est vocabulum, quod Vergilius frequentavit. Qui „ingeminat“ „voces“ (Ge. 1, 411), „ictus“ (Aen. 5, 457), „terrorem“ (Aen. 7, 578). Quid quod etiam in Aen. 1, 747, quo loco codices exhibent: „ingeminant plausu Tyrii Troesque sequuntur“ doctius esse et exquisitius dictum, scilicet ut poetica dictio a volgari recederet. (Heinsius) quam id quod scholiasta scripsit Lucani 1, 133 Weberi: „plausum“ comprobari nequit neque Ribbeckio placuit (cf. proll. crit. p. 66.) neque potest bene intellegi; nam „ingeminant“ (i. e. se ingeminant, ingeminantur duplicantur iterantur) „austri et densissimus imber“ (georg. 1, 333), sed „corvi“ non „ingeminant voce“, sed „voces ingeminant“ (georg. 1, 411): austri possunt et voces ingeminari, non homines et aves. Sic solet usus distingui etiam Vergilio. Quare mendum esse factum in Aeneidis loco 1, 747 supra laudato conicio. Ceterum si quid ad alterum provocet Aeneidis locum 9, 811: „ingeminant hastis“, praefracte negari licebit necessitudinem. Nam illic pugnae describitur tumultus concursus armorumque strepitus, leguntur haec 808 sqq.:

„strepit adsiduo cara tempora circum
tinnitu galea et saxis solida aera fatiscunt
discussaeque iubae capiti nec sufficit umbo
ictibus, ingeminant hastis et Troes et ipse
fulmineus Mnestheus.“

Nonne vicinum extat mente supplendum obiectum „ictus“ vocabulum? Sed utut res se habet, manet unicus mere epicus vocabuli usus nec volgaritatem licet in Persio olfacere.

Quid quod etiam „naso crispante“ Vergilii vult aequare sermonem, qui eximius extat huius vocabuli novator. Inauditum enim usque eo fuerat cum Vergilius Aen. I, 313 = 12, 165 scripsit:

„bina manu lato crispans hastilia ferro“.

Post eum receperunt litterae. Huc qui non referunt Persianam dictionem, Persio satisfacere mihi non videntur. „Crispantem“ enim nasum quod soli Persio debetur dictum non sine ratione atque consilio dici apparet. Sane ad rugas spectat. Nec tamen exhauriri censeo ita Persii animum. Immo „risu tremulo concussa cachinnant corpora“ (Lucret. 1, 919 = 2, 976). Et maxime scilicet in ridendo nasus solet concuti atque vibrare. Sic enim glossographi interpretantur „crispare“ vocabulum omnes (IV 35, 17; V 435, 6. V 282, 6). Nonne artificiose verba collocavit, ut etiam crispare cachinnum, ad Vergilianum vocabuli usum deflexa notione, quasi effundere cachinnum crispantem i. e. vibrantem nasum posset subaudiri? Quod revera esse factum Sedulius est testis qui propalam scripsit carm. pasch. 1, 332 (corp. Vind. X. p. 40 Huemer):

„alter amat fletus, alter crispare cachinnum.“

Persium autem videmus haud sine arte satiram suam voce epica (cf. Henry. Aeneida I p. 593.) exornasse.

115. „alges, cum excussit membris timor albus aristas.“ „Excutere aristas“ an non recte ex usu sermonis volgaris dictum iudicaverit Jahnus, dubitari poterit. Neque enim ceteri testes, qui duo sunt hanc rationem commendant: Quorum alter Plinius nat. 27, 96 doctrinae causa satis remotae, ut mihi videtur (quidam ob id aristida vocant holcum) protulisse vocem ac quodammodo verborum quaesivisse concentum videtur in rebus similibus (i. e. spicarum aristis cum capitis humani pilis) comparatis: „holcus in saxis nascitur siccis. aristas habet in cacumine . . . . haec circa caput alligata vel circa lacertum educit e corpore aristas, quidam ob id aristida vocant.“ Et Varronis rei interpretatio ling. 6, 45: „tremo dictum a similitudine vocis, qui tunc cum valde tremunt, apparet, cum etiam in corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent.“ ad metaphoram sane notam videtur spectare (de hoc dubitari non poterit), nimis tamen adeoque nequaquam volgatam, ut ipsos pilos etiam aristas vulgo dictos inde conicias. Quid quod Trimalchio: „mihi“, inquit, „pili inhorruerunt“ (Petron. 63, 1). Ergo arti potius studere Persium opinabimur, qui cum a similitudine dixit aristas pilos, quippe qui cum inhorrescimus erigi aristarum instar soleant. Neque vero ipse „eriguntur timore pili“ dixit, maluit: „excussis timor aristas“ dicendo rem et fortius exprimere et graphice depingere: nihil enim aliud horror quam pilorum ex contractione cutis erectio (Casaubonus).

Satura IV.

12. „Regulam pede esse varo“ dicit, plane de suo. Nam graphice satis depinxit, ut solet rem. „varus“ enim est σκαμβός (gloss. III 330, 111 vel, ut melius glossarii exhibent quamvis sub verbo „valus“: „qui genibus iunctis ambulat“ (IV 189, 5. saepp.). Vides quomodo noster sibi effinxerit mente imaginem. Appellat enim varum pedem sc. regulae i. e. κανόνος (gloss. = germ. „Lineal“) in pedes (genus mensurae) distinctae (Némethy.) eum, qui vel quod ipse rectus non est vel quod regula in eo labitur, facit lineam a recto cursu aberrantem. Sed iam vides dicere hoc non potuisse nisi eum quem saepe experti sumus sensibus acutis uti et penetrare ita in rem, ut, cum dicatur, spectetur.

Etiam „nigrum vitio praefigere theta“ exquisitius est quam simplicius dictum. Nam res constat, haud ita apud populum usus dicendi. Neque enim scio, an hac ipsa in re tali ambage abstinuerit: „stigmam habiturum servum“ dicebant (Petron. 45, 9. 69, 1), thetam mortis damnatum. Sed si utebatur, aliter elocutus est: K litera ad caput alicuius affigi solebat (Cic. Rosc. Am. 20, 57), theta tabulae inscribi; inde apparet „vitio prae-

figere theta" ex ingenio et arte poetae, non ex populi ore esse natum.

18. „assiduo curata cuticula sole". Usus vocum „cutis cuticula pellicula" sane est volgaris. Significatur autem ipsa illa asperitate iocosa proprii corporis ratio fere ut vernacula lingua „Das liebe Ich" (Mueller, dem. p. 90.): Hor. epp. 1, 2, 29: „in cute curanda", 1, 4, 15: „et nitidum bene curata cute vises", serm. 2. 5, 38: „pelliculam curare iube". Iuv. 2, 105: „curare cutem" all. Sed haud inficete Persius „curata cuticula sole" dicit unicus quod videam. „Bibere" enim „solem" „combibere soles" alii scripserunt. (Martial. 10, 12, 7. Juv. 11, 203.) „curare cuticulam" omnibus licebat eloqui, „curare cuticulam sole" Persii restabat arti reservatum. „Curare" enim verbum proprie est culinae: Donat. Andr. 1, 1, 3: curentur recte] diligenter coquantur. Apicius 4, 143: pisces curati cf. 125, 151. Igitur tamquam excoquendi in sole corporis cura[1]) chromatiario illi summa est boni. Hoc acumen proverbiali quasi sermoni illatum Persii arte est dignissimum.

26. „quantum non miluus errat".[2]) Aliter audiebat in proverbio (conferas Ottonem). schol.: dici solet secundum proverbium „quantum milvi volant". Petron. 37, 8: „ipse Trimalchio fundos habet qua milvi volant." schol. Juv. 9, 54: „. . . . quoniam nec milvi transvolare eas possunt". Tertullian. adv. Marc. 3, 24 Oehler: „volant velut qui sunt milvi". Igitur non parcit noster proverbio ei quod superare potest. Nam certe plurimum pervolat latifundii milvus errans.

35. Corruptos psilothri mores rursus tam acerbe et graphice ad rerum veritatem expressit, ut ne pessimas quidem vereatur tangere res. Tamen verbis lectis uti videmus eum qui naso suspendit adunco apricum illum chromatiarium. Nam „runcare corpus" pro „pilos evellere" dicta certe vilia effugiunt et ad iocositatem quandam accedunt. Nam runcari proprie segetes vel herbae dicuntur. (schol. Isidor. 17, 2, 5. Cato Varro Columella.) Et „vulvae" pro natibus posuit multo audacius. Nam feminarum loca vulvae sunt. Neque tamen haec est libi-

[1]) Sen. brev. vit. 13, 1.

[2]) „milvus oberrat" prave legitur in florilegio Frisingensi. Recte „errat" retinuerunt editores. cf. etiam Housman. Class. Quaterly I (1907) 275.

dinosi neque plebei hominis locutio. Nam proprie obscena huius rei significatio „cunnus" erat Cic. fam. 9, 22, 3). Libidinosi autem tecte solent circumscribere: „rima, fossa, saltus, specus" habent vocabula. (Hey. arch. XI 531.) Persius suo nomine rem significat (Varro Celsus Plinius) ut homo severus. Neque autem difficile intellegitur quid Persius voluerit significare perversorum morum castigator.

37. „Maxillarum gausape" barbam salse appellantem facit interlocutorem Persius rursus de suo. Quod ipsi quoque glossographi testantur, quippe qui ex Persio doctrinam hauserint (V 616, 25 „balanatum gausape" i. e. balano herba tinctum) neque quidquam de barba aliunde praebeant. Gausape autem erat genus panni crassioris et altera parte villosi ex quo fiebant stragula cum mensis (Lucilius 568, Horat. serm. 7. 8, 11) tum lectis idonea (lodices = gausapum quadratum apud Martialem 14, 152) itemque vestes quarum usus erat in pluvia et frigore (paenula gausapina Mart. 14, 145). Ergo si recte e sermone cotidiano arreptum iudicavit Marxius ad Lucil. 568. vocabulum, quod probatur eo, quod in Martialis apophoretis saepissime extat, nove ad barbam transtulit Persius, quo melius designetur homo hirsutus, psilothri turpitudo derideatur.

38. „gurgulionem" nominat penem. Quo in verbo explicando quoniam argutantur et titubant interpretes, haec sunt monenda. In speciosam fraudem pellecti sunt scholiastae, qui de gutture metaphoram derivarunt. Immo animalium nominibus praecipue saepe vocabant membrum virile Romani: turtur (Buecheler arch. II 117), natrix (Lucilius 72.) = ἔχις ὄφις anguis (Priap. 83, 33), sira: *σαῦρα τὸ αἰδοῖον* gloss. II 185, 9, piscis rubeus aut penis GL VI 462, 3. strutheus (Fest. p. 313ᵃ 23): Heraeus arch. XII 265 adn. Ergo eo magis a scholiastae doctrina abstinendum, praesertum cum Persianus curculio habeat gemellum: gloss. II 552, 13 vermiculus: *βάλανος, ἀνδρείας φύσεως*. Nonne fieri potest, ut hoc vocabula fuerit magis in usu, Persius ex plebis ore deprompum affabre variaverit? Et ne in tradita lectione (gurgulio) haereas, habemus exempla scripturae permutatae: Cat. agric. 92: frumento ne curculio noceat APb, frumento ne gurgulio noceat v, itemque Palladius 1, 19, 2 Schmitt. Et ut eloquentiae

inopia ac sermonis vilitate nunquam sordescit. „plantaria" et „filicem" iocose villos nominavit scilicet de suo leporem quendam ac salem consecutus de agricultura imagine tracta: „filix non mansuescit aratro" ~ Verg. georg. 2. 239: „tellus non . . . . mansuescit arando". Ubi de Persii audacia iam Némethyius recte monuit; nam proprie non filix, sed ager filice obsitus mansuescit aratro.

49. „si puteal multa cautus vibice flagellas." Locus est vexatissimus. Spectemus singula: puteal locus erat Romae ad quem veniebant feneratores, in quo tribunal solebat esse praetoris (Ps.-Acro Horat. serm. 2, 6, 35) Libonis Scribonis vel Scribonianum nominatur inter Castorum Templum et Vestae Aedem situs (Richter topogr. Rom. Iw. Mueller p. 103.). „Vibices" sunt plagae verberum in corpore humano (Paul. ex Fest. p. 369.) vel exercitatum verberibus corpus (Varro ling. 7, 63) vel plagarum vulnera (Nonius 187, 24). Explicat „*ὁ μώλωψ*" (Strieme) voce Cassiodorus de orthographia GL VII 193, 2. Sed Augusti iam temporibus videtur fuisse vox inusitata; nam Festi explicatio Verrii Flacci sane profluxit ex studiis et Plautinis et antiquariis. Ex Plauto enim attulit Varro ling. 7, 63 (ex Fugitivis): † agerge specta, vide vivices quantas — iam inspexi † quidem esset? (Goetz-Schoell.) (apud Leonem II p. 536.)

„flagellare" autem vocabulum quod sibi velit constat. Ita iurisconsultos „infligere usuras" dixisse Némethyius demonstravit. Et „opes flagellare", „annonam flagellare" (Plin. nat. 33, 164.) Romani solebant eloqui item ac „pecuniam agitare" (Sen. ep. 101, 4) „opes vexare" (Mart. 9, 59, 2). Sed cum haec ipsa metaphora esset et licentia quaedam sermonis Latini, tamen usus vigebat, a quo „puteal flagellare" plane alio obiecti genere substituto prorsus alienum fuisse quis est quin videat." Inde sane profluxit unde multos esse natos vidimus Persii locos, dico ex morositate illa, qua investigarit atque perscrutatus sit origines dicendi, ut suus fieret sermo. Nam certe ad proprium nativumque sensum flagellandi recessit; nummos enim vexari, usuras effici eo fieri imaginatur, ut „puteal flagelletur", quare „multa vibice" adposuit ut facile res perspiceretur. Haud ita tamen facile mihi videtur diiudicatu „vibex" ipsum vocabulum ecquo consilio posuerit. Hoc ipso verbo usus oblivione fere

obruto nonne aut adfectare voluit antiquitatis speciem, qua rerum forensium per omnia saecula viguisse notum est sermonem aut imprimis apta esse ei est visa notio verbi ambigua, quae fuisse videtur? Neque enim modo plagarum signa, sed ipsae plagae (cf. Festi locum) videntur significari potuisse hoc vocabulo. „Puteal multa vibice flagellare" ergo nonne licet suspicari ideo eum posuisse quo melius et ablativus flagellandi verbo rectus posset intellegi (i. e. plagis flagellare) et ad puteal substantivum referri ita, ut cicatrices id posthac habere subaudiretur? Sed utut vocabula interpretamur, manet ab usu aliena ratio, manent dicendi artificia.

Satura V.

3. „Hianda fabulo tragoedo". Artis poetarum vocabuli imitatio est aculeata. Nam re vera poetarum sublimitate non indignam fuisse dictionem Propertii docemur loco notissimo 2, 31, 6, ubi dedicatum illum ab Augusto Apollinem Propertio licuit inspicere: „marmoreum tacita carmen hiare lyra". Quem ad locum iam a Burmanno exempla sunt allata. Usu igitur est factum, ut „hiare" non tantum „os aperire" significaret sed etiam ut Graece *χάσκειν* cuius rei causa solet os aperiri, i. e. „effundere aliquid de ore". Sed Graece *ῥήματα χάσκειν* constat non semper cum dignitate esse dictum, immo interdum paulipser male audisse: Soph. Ai. 1226 increpat Agamemnon Teucrum, qui male de se verba quasi effutirit:

σὲ δὲ τὰ δεινὰ ῥήματα ἀγγέλλουσί μοι
τλῆναι καθ' ἡμῶν ὧδ' ἀνοιμωκτὶ χανεῖν;

Qua voce ex Hesychio: *ἐχάνει· ἐκάλει χανύειν· βοᾶν* apparet praecipue minus magna voce aliquid efferri esse indicatum. Quod in aperto ore non est mirum et optime in nostrum locum quadrat. Suspicari igitur licebit Persium ipsum quoque auribus Latinorum huic inesse vocabulo voluisse aliquid invidiosi. Sed cave ne nimis tribuas scholiastae Jahni aliorum observationi, qua de personae hiatu monuerunt, quem ut vox clariore sonitu ederetur fuisse ex Gellii notissimo loco V 7. voluerunt audire. Satis infregit grammatici illius Bassi auctoritatem Dingeldeinius Berl. Stud. XI 1 (1890) 17 sqq., unde

hiatum personae ad ipsam vocem augendam nihil omnino attulisse constat. Sed ipsa vox tragoedorum eximia erat Romanis clare vociferandi exemplum: Cic. de or. I 28. 128: „in oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poetarum, memoria iuris consultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus." Quint. XII. 5. 5. Neque tamen locum deficit illius rationis quoddam acumen. Simul enim fortasse voluit ipsum „hiandi" vocabulum ponendo significare tragoedi vocis vim ut eam, quae deberet oris diductionem et magnitudinem in persona conspicuam aequare quodammodo.

12. Fortasse recte iudicavit scholiasta de Persio „cornicaris" vocabuli novatore: „cornicaris", inquit, „novum a poeta verbum compositum submurmuras et quasi cornicis voces profers." Neque enim habemus, quod auctoritati eius opponamus. Iterum enim modo legitur in litteris idque apud perpetuum Persii imitatorem Hieronymum epist. 115, 16: „intra se nescio quid cornicantes" (cf. Luebeck, p. 198). Et Persium solum proferunt grammatici Priscianus GL II 433, 10, eiusdemque discipulus Eutychis GL V 459, 4. Quare etiam glossographus ille unus (V 617, 29: „inepte loquor") quin ad nostrum locum spectaverit, non est dubium. Stabit igitur scholiastae iudicium metaphoraque manebit Persiana, quam cum nostratium quorundam familiari vocabulo, quod mihi ignotum est, haud scio an recte contulerit Piersonius mus. Rhen. 12 (1857) 96: „dahlen".

13. „nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas." Haec sane plebeii est sermonis imitatio et poetae non vitantis, quae a cultiore litterarum stilo abhorreant, neque tamen — quod monendum — adeo plebeia enuntiatio, ut indignum fuisse eam putemus hominis urbani usu cotidiano. Et artem videbimus. In „scloppo" autem primum vocis per onomatopoeiam fictae forma tradita non habemus, quod offendamus. Nam formae ab „scl"-incipientes apud antiquissimos fortasse legebantur — quamquam „exantlare" prave legit apud Plautum Stich. 273 Keller etym. volg. Lips. 1891. p. 108. — evanuerunt posteris temporibus: dicebant „sclataris" pro „stlataris", quin etiam ad „veclus" pro „vet(u)lus" sunt progressi et „mencla" eloqui maluerunt quam „ment(u)la" (Heraeus arch. XI 67.) all. (cf. Brugmann Gr. I. 1², p. 531. Lindsay-Nohl. p. 350. Sommer. p. 261.) Quare ne „scloppo" quidem forma, ad quam Romanicae quoque linguae recedere videntur (schioppo Knall: Gröber arch. V 461.) quicquam habet miri. Deinde „bucca" vera est popularis vox „oris" gemella (Landgrafius ad Cic. Rosc. 87. Erlang. 1884, p. 296. Roensch Ital. et Vulg., p. 472. Groeber arch. I 253. Et „rumpere" eas inflatas eadem est „elocutione expressum ut supra 3, 27: „pulmonem rumpere ventis" cf. p. 36: addas „inflatas rumpi vesiculas". (Cic. de div. 2, 33.) Sed mire „tumidas" dixit „buccas". „Inflare" enim buccas a Plauti temporibus (Stich. 767.) usque ad Horatii aevum (serm. 1. 1. 21.) magis in usu fuisse videtur et „buccas inflatas" etiam scholiastae nostri stilo irrepsit ut solemne. „tumidas" autem alias res non buccas ita nominasse Latinos cognoscitur lexicis idque fuisse vocabulum optimis gratum Vergilio imprimis et Ovidio. Veri igitur est simile quaerendo scrupulosius verbo operam eum dedisse, ut a volgari recederet usu, vel non pressisse saltem volgarem anxie usum. Verumtamen non tam elegantiam, qua evitavit Propertius e. g. vocem II 30, 18: „turpia cum faceret Palladis ora tumor" quem ad locum Hyginus fab. 165: „quod . . . buccas inflaret" volgaris sermonis ipse quoque est testis, quam artificiosam vult, efficere imaginem, qua Cornutus poetam describat non ut eum qui puerilia et inania tantummodo tractet, sed severum morum castigatorem. Qua in re quo magis graphice depingere ei contigit eo maior ars ei ipsi est visa.

19. „non equidem hoc studeo pullatis ut mihi nugis
pagina turgescat."

Difficultas hexametri non legitime incisi cuius exempla enarravit Lachmannus ad Lucret. 6, 1067 nulla est secundum rectam „pullatis" pro falsa Jahnii „ampullatis" scripturam codicum. Rem autem ipsam nemo ante Persium his verbis ausus est denotare. Quae sitne ex suo ingenio nata an de vivo hausta sermone quaerere si volumus, quidnam omnino de re constet oportet examinari. „Bullatae" enim nugae pulchre quibusdam visae sunt appellari, appellatione cum illa „turgescat" congruente aquae bullis derivato vocabulo. Sed hoc ab omni latinitate plane abhorret. Neque enim „bullatus" poterat aliter nisi „bulla ornatus" intellegi (adeas quaeso Poeschelium in thes.

II. col. 2242 sq.) quod scholiasta quoque probavit: „legitur et bullatis i. e. ornatis." Pulla autem veste i. e. lugubri apud tragoedos erat usus. (schol.) Tali nigra veste inducti pullati nominabantur: ita lugentes cum nigris vestibus: Iuven. 3, 213 cum schol. gloss. IV 152, 36; V 237, 37; 326, 6 all. Unde facile potuisse licet suspicari „pullatus" et pro „tristis lugubri" et pro „tragicus" accipi. Neutrius tamen extat in litteris memoria. „Pullati" qui audierint apud Romanos Plinius docet ep. 7, 17, 9: „sordidi pullatique", quos „tunicatum popellum" Horatius vocavit epp. 1, 7, 65. Ad tragoedos igitur referre vocabulum cum licenter ipse Persius sibi permisit, nugae erant „pullatae" tali audacia tristes illarum tragoediarum dictae ut etiam Romanorum aures stupuisse veri sit simile.

48. „Parca tenax veri." Probro vexare eum videmus id quod usitatum fuisse videtur Parcis adpositum, quippe quas veridicas voces edere dixerint Romani. (Catull. 64, 306. Cic. de div. 1, 45. 101.) Prorsam fugit orationem, elatiore maluit ore eloqui. Sed Horatiano quoque vitato „veraces Parcae" (c. s. 25), leporem quendam eo est consecutus, quod vocabulum aliter maxime adhibitum in suum peculiarem usum vertit. Nam ut fata audiunt apud Ovidium ex pont. 1, 2, 63: „tenacia", ita deae quoque fatales „tenaces" dictae fuisse videntur: CIL VI 29426. = carm. epigr. 1164, 4 Buech.-Ries. i. e. inexorabiles. Sed „veraces" et „tenaces" copulavit Persius praebetque locutionem inauditam.

54 sqq. Hunc quoque operae est pretium inspicere locum:

„Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini
Hic satur irriguo mavult turgescere somno
Hic campo indulget, hunc alea decoquit ille
In venerem putris."

Ex philosophorum disciplina atque usu variorum generum hominum, quorum alii aliis vitiis laborent, enumeratio profecta est satiricis usitata. In Lucilio enim (608): „nunc . . . his" verbis memorantur ambitiosi. (cf. Marx.) Et apud Horatium extat serm. 1, 4, 25 sqq.:

„quemvis media elige turba:
aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat:
hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum
hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
hic mutat merces surgente a sole ad eum quo
vespertina tepet regio, quin per mala praeceps
fertur uti pulvis conlectus turbine, nequid
summa deperdat metuens aut ampliet ut rem."

locus nostri simillimus. Sed stilum auctorum si examinamus, quantum interest! Ac negari nequit antecellere Horatium cultu orationis quodam et gravitate et gratia et nitore, vulgaritatis quandam speciem ac sermonis vilitatem quandam in Persio. Sed cum coloribus Horatius pepercit, Persius diligentissime singula depingere maluit quam res enumerare tantummodo: „Hic mutat mercis" apud Horatium, Persius haud sine consilio addidit „mercibus mutat rugosum piper et pallentis grana cumini." „Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum, hunc caput argenti splendor; stupet Albius aere" Horatius, Persius „hic campo indulget, hunc alea decoquit" ait eximia breviloquentia, qua ponit singularia, ut ipsam vitam accuratius illustret. Neque haec satis; non desunt singulis curae. Epithetis enim voluit oculis quam vividissimas res depingere: rugosum piper, pallentis cumini[1]), irriguo somno. Nonne is qui ad volgare quiddam sane descendit de Horatii genere dicendi, talibus orationem suam exornavit? Quid quod „irriguo somno" hoc leviore sermone paene est elatius ac vox poetica in satura. (Henry. Aeneida I, p. 824.) Nam Lucretium decet et Vergilium: de rer. nat. 4, 906:

„nunc quibus ille modis Somnus per membra quietem
„inriget."

Aen. 1, 691: „at Venus Ascanio placidam per membra quietem
„inrigat".

i. e. inrigata infundit: proprie quia et somnus sic pingitur quasi cornu infundat (Servius Danielis). cf. Statius Theb. 2, 144:

[1]) ita „marcida vina" Statius s. 1, 6, 33 Iuvenalis 7, 206: „gelidae cicutae" poetae rhetores. (Norden. Aen. 6, 53.)

„fessos . . . cornu perfuderat omni Somnus". Silius Ital. Pun. 10, 352: Somnus „per tenebras portat medicata papavera cornu . . . oculisque quietem irrorat". cf. Ov. met. 11, 605 sqq. Nam Somnus „ecce deus ramum Lethaeo rore madentem

„vique soporatum Stygia super utraque quassat".

(Verg. Aen. 5, 854.)

Sane poeticum Persius cur adhibuerit vocabulum si quaerimus, irrisisse eum apparet voce epica homines, eorumque malas consuetudines perstrinxisse, qui irriguo somno recreari student eo tantummodo, ut segnes saturique pinguescant. Nonne satis artificiose opponitur suavitas somni utentium pravitati?

76. „tresis agaso". Agaso servus iumentorum minister. (schol. locos glossarios collegit enarravit Schlutter arch. X 190.) Nomen ipsum imperatorum temporibus omnibus licebat usurpare. (cf. Marquardt.-Mau. p. 150.) Postea „marscalcos" rustici vocabant. (gloss. V 583, 7, cf. ahd. gloss. ed. Steinmeyer-Sievers. II 339, 11.) Vergilius sane repudiavit, „duces" ait Aen. 3, 470 (cum Servio), „aurigas" 12, 85 (cum Servio). Sed per contemptum servum inhabilem ne Horatius quidem (serm. 2, 8, 72) veritus est nominare. Persius igitur non excedit saturae modum atque licentiam.

Pluris interest „tresis" vocis rationem examinare, quoniam Persium solum ita iocatum videmus in litteris. Scriptum „tresis" habuit archetypus codicis Pithoeani cui fides habenda. Nam saepe literam „s" non geminatam inveniri Georgesius monuit in lexico formarum s. v. bes decusis centusis (Pers. 5, 191.) adde Heraeum Philol. 59 (1900) 317. Genetivus autem eodem modo est positus ut „homo trioboli" apud Plautum (Poen. 381, 463.) e Graecis sane derivato vocabulo. Conferas Nicophontem fr. 12, 3 Kock. (I p. 777.) *οὐκ ἄξιος τριωβόλου.*[1]) Sua ipsius i. e.

---

[1]) *ἐὰν δέ γ' ἡμῶν σῦκά τις μεσημβρίας*
τραγὼν καθεύδῃ χλωρά, πυρετὸς εὐθέως
ἥκει τρέχων, οὐκ ἄξιος τριωβόλου.

ubi prave adnotasse Kockius mihi videtur: „Grotius: „febris non facienda trioboli" perperam, neque esse potest febris non trioboli iactura, sed magno pretio curanda". Non levem habendam i. e. vehementissimam febrim in animo habuisse mihi videtur poeta. conferas Donatum ad Terent. Eun. 2, 3, 12 = vs. 303, ut ambiguitatem perspicias.

Latina si voluit eloqui „homo nihili" ait Mil. 285, vel „tu nihili" Cas. 239, „impure, nihili" Asin. 472, „homo haud magni preti" Mil. 145, „vis minimi preti" Trin. 925. „tresis" homo nusquam invenitur. Sane Persii etiam elegantius audiebat vocabulum quam Petronii voces: 74, 15: „homo dipundiarius" (cf. 58, 6), 45, 8: „sestertiarius homo", 44, 13: „aedilis trium cauniarum".

88. „vindicta postquam meus a praetore recessi." Apollodorum Graecum imitatione expressum a Terentio Phorm. 587: „nam ego meorum solus sum meus" Donatus monuit: <*μόνος*> *ἐγώ εἰμι τῶν* <*ἐμῶν*> *ἐμός* (Guyet.). Quod recte adnotatum ut Graecum lusum confirmarunt viri docti Priscianum secuti testem (GL. III 166, 20), qui Euripidis simillimum attulit versum (*ἐγὼ δ' ἐμός εἰμι* fr. 1005 Nauck) et Persium comparavit, non prorsus recte; nam longe aliud valet in Persio ac latius patere usum in litteris Latinis Heinsio Ovidii interpreti debemus demonstratum: 3, 689: „vixque meum firmat deus", 8, 35: „vix sua, vix sanae virgo Niseia compos mentis erat" adde 14, 166 (Korn-Ehwald): „iam suus et spinis conserto tegmine nullis fatus Achaemenides" Statius silv. 2, 2, 72: „compositus semperque tuus". In vivo[1]) autem sermone crebriorem hunc usum fuisse non audebimus negare cum in lingua latina habitasse videatur. Quare non dedecet eum, quem hominem ex plebe designare poetam voluisse ex „vetavit" (vs. 90.) forma volgari apparet: cf. Georgesium in lex. form., Neue-Wagner. III^3, p. 376. Ludwig. Philol. 36 (1877) 293. Thielmann ibid. 42 (1884) 329. Arte autem et consilio est factum ut homini plebeio plebis proprium dederit modum dicendi, quo ipse poeta abstinuerit.

92. Persii autem ingenio soli imputabimus „veteres avias de pulmone revellere" enuntiatum. Aviarum enim narratiunculas superstitionesque aniles pueroque conceptas opiniones ipsas „avias" nemo alter nominavit: „mit halsbrechendem Sprunge übertragen auf Aberglauben und Vorurteil" Piersonius mus. Rhen. 12 (1857) 91. Immo „aniles fabulas" quo ipse quoque scholiasta interpretatus est dicebant Romani: Cic. de nat. deor. 3, 5, 12: „nec fabellas aniles". Apul. apol. 25: „nescio quas aniles

---

[1]) Némethyius Senecae epistularum locum attulit 20, 1 init. „Si vales et te dignum putas qui aliquando fias tuus, gaudeo".

fabulas". Min. Fel. Oct. 11, 2: „aniles fabulas adstruunt". Ac sine irrisione Horatius serm. 2, 6, 77 commemorat, quas „aniles fabellas" Cervius narrat. „superstitiones aniles" alii nominarunt: Cic. de nat. 2. 28, 70 all. „Has" inquit „quas nutris aniles fabulas, tibi de pulmone revello" (i. e. „de tuis praecordiis extraho." scholiasta non prorsus apte). Sane vere Persiana locutio; nam ut iam saepe vidimus in affectibus describendis in deliciis esse Persii ad originem i. e. eam corporis partem recedere, unde exoriuntur, ita hoc loco pulmonem posuit. Nam pulmo definitur „spiramentum animae" (Serv. Aen. 9, 577.) Et „vocem non habere nisi quae pulmonem . . . habeant, hoc est nisi quae spirent" Aristoteles docuit. (anim. hist. IV 9 Bekkeri I. p. 535a, 30. Plinius. nat. hist. XI 266.) Pulmo igitur est cum vocis tum verborum quae pronuntiamus sedes. Quare si revelluntur de pulmone aniles illae fabellae ac superstitiones, id est: iam non poterunt efferri.

96. „Stat contra ratio et secretam garrit in aurem".

Locutio est poetica: Mart. 2, 11, 2: „quod ambulator porticum terit seram (= sero)" ibid. 14, 16: „siquis ibi serum carpat amicus iter". Sil. Ital. 7. 554: „aeterno fixum sub pectore serva (= in aeternum)": Friedrichius ad Catull. 15, 2. Per se igitur nullum in Persii loco inest artificium; attamen est arte refertus eo, quod satis artificiose exemplar suum aperte tecte respectavit. Horatius enim epp. 1, 1, 7: „est mihi purgatam crebro qui personet aurem" cuius memoriam aperte carmini suo inserere non neglexit Persius 5, 63: „purgatas aures". Nostro autem in loco etiam „secretam aurem" illud ex Horatii officina est profecta. In cena enim Nasidieni (serm. 2, 8, 78): „in lecto quoque videres stridere secreta divisos aure susurros". Unde Persius explicatur: secreta auris libere dicitur ea quae patet rebus arcanis. Omnia autem sunt Horatii vel nihil. Nam sucus est totus Horatianus, sermo non casu factus alienus, sed voluit Horatium persentisci. Quod emuncti naris homines et litterati Romani sagacius sunt odorati.

104. „exclamat Melicerta perisse frontem de rebus." Sedes enim ac „templum pudoris est frons" (schol.). Horatii est imitatio: epp. 2, 1, 80: „clament periisse pudorem". Voluit hic quoque et illius premere vestigia et libero gressu incedere, ut dictio illa varia et copissa evadat, qua praeter ceteros floret ars Persiana, quaque hic Melicerta increpat iratus ridicula iscosaque de suo formata. Neque enim ita Latine erat mos eloqui. Nam poterant dici coniuncta: (Mart. 11, 27, 7): „at cum perfricuit frontem posuitque pudorem" vel (Juv. 13, 242): „quando recepit eiectum semel de fronte ruborem" vel etiam (ib. 8, 189): „populi frons durior", quin etiam „in balnea salva fronte licet vadas". (ib. 11, 205.) Sed de rebus (cf. 1, 1) perisse frontem" ut nostris ita Romanis auribus debebat sonare insolite iocoseque compositum, quamvis „res" vocabulum habeat eum sensum, quo nos quoque possumus dicere: die Dinge der Welt = die Welt. Voluit autem sane Persius persentiri inconcinnitatem qua res habere frontem ausus est dicere, quas apte poterat dicere habere pudorem.

112. „nec gluttu sorbere salivam Mercurialem." Nonne tu, inquit, lucri cupiditate moveberis, ut nummum capias, cum videris? Nonne „saliva tibi movebitur". Sic enim sermocinari solebant Romani: (Sen. ep. 79, 7): „aut ego te non novi aut Aetna tibi salivam movet". „Mercurialem" autem salivam dixit, quia ipsum deum lucri dicunt". (schol.) Sed iocose lusisse poetam vel eo apparet, quod salivam omnino solus hoc nomine exornavit; perraro enim invenitur vox in litteris; contenti esse debemus eo quod traditur mercatorum collegium fuisse Romae qui Mercuriales dicebantur. (Liv. 2, 27, 5. Cic. Quint. fratr. ep. 2, 5, 2.) Ceterum Horati (s. 2. 3, 25, c. 2, 17, 29) Mercuriales viri docti sunt atque poetae qui in tutela sunt Mercurii sideris. (Boll Philol. 69 (1910) 165 sq.) Quare adiectivum Persii omnino fortasse nove extat quodammodo adhibitum, certe non tritam vocem usurpavit. Sed hoc in dubio licet haereat, certa est sermonis libido. Apparet enim „salivam movere" parum ei esse obsolete et vilius dictum quam ut, cum augeri posset, non augeret. Propterea, ut solet, de translata ad propriam recedit voculae notionem tantumque ponit mente animi impetum i. e. lucri cupiditatem, ut tantum salivae moveatur in ore, ut gluttiri possit.

115. „cum fueris nostrae paulo ante farinae
„pelliculam veterem retines et fronte politus
„astutam vapido servas in pectore volpem."

Ex Cassii Parmensis epistula („materna tibi farina est ex crudissimo Ariciae pistrino" sc. ut pistoris nepoti Suet. Aug. 4) constat in cotidiano sermone fuisse hunc „farinae" vocabuli usum.[1]) Sed videas quaeso, quam artificiose Persius „farinae, pelliculam ... fronte ... in pectore volpem" vocabulis usus quasi totum hominem posuerit depinxeritque cum corporis materiam et formam tum speciem falsam ac verum animum; farraginem quae nobis diversarum rerum esse videtur paene ridicula, eum pro arte vendere voluisse veri simile non est, praesertim cum in ceteris quoque manum agnoscamus artificis, non vivi sermonis ingenium. Nam primum quidem imitationis hoc habemus eximium exemplum; nam consulto iterum et aperte se avertit ab Horatio. Quo Lucilium praedicaverat primum ausum in mores invehi, „detrahere et pellem nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis." (serm. 2, 1, 64.) Quae dicendi ratio iterum occurrit in epistulis (1, 16, 45): „introrsum turpem, speciosum pelle decora". Quae de Aesopii sunt tracta asini pelle leonina misere induta. (Kiessling-Heinze.) Sed huc illa non quadrant. Neque enim pellem decoram illam, qua falsam studet prae se ferre speciem significat, sed veterem eius naturam, „pellicula" vocabulo, species illa sapientiae ac libertatis, quam prae se fert, „fronte politus" indicitur voculis, turpitudo interna i. e. mendacia ex „in pectore volpem" nominibus intellegitur. Ubi posuit audacter „volpem" solutum ex illo stricto qui est apud Horatium conexu a. P. 437: „numquam te fallent animi sub volpe latentes". Adfinitas igitur locorum etsi in aprico est, tamen ita rem instituit, ut partim verba sunt eadem, sensus contrarius (pellis: pellicula) partim verba alia, sensus idem deprehendatur. Hoc primum. Deinde „pelliculam veterem retines" unde sumpserit si quaerimus, poterit non constare scholiastae interpretatio: „pelliculam veterem, antiquum vitium. tractum est ab anthiope quae non mutat pellem suam, nec pardus varietatem suam, sed in qua pelle natus est, in ea moritur." Immo potius poeta videtur adlusisse ad eam locutionem qua intra „pelliculam se non continere" dicebant Romani

[1]) Petronii „fasciae nostrae" 46, 1 omitto comparare Heraei doctus adnotatione (apud Friedlaenderum): = „nostrae mensurae".

eos, qui mediocritatis suae obliti, maiora se ipsis adpetunt. (Porph. Horat. serm. 1, 6. 22.) Ita enim Martialis 3, 16, 5:

„sed te, mihi crede, memento,
„nunc in pellicula, cerdo, tenere tua."

Quorum, ait poeta, non es in numero, sed ex quo modo studebas elabi, si recte contemplamur, in eadem etiam tenes te pellicula i. e. tu ipse tu esse non desinis.

142. „nihil obstat quin trabe vasta
Aegaeum rapias." Ipso hoc quoque perspicuum fit exemplo sermonem non levem curasse poetam. Protulit enim epicum poeta vocabulum: Henryius Aeneida II, p. 468. Nam Vergilius ita amavit eloqui: „corripere campum" (5, 145, 318; 6, 634), „arripere locum" 11, 531, ubi festinandi studium depingitur: festinat is qui arripere rem vult optatam, festinat is qui celeriter vult quo contendit pervenire. Volgi autem erat „viam vorare" usus dicendi (Catull. 35, 7): Nordenus ad Aen. 6, 634.

149 sq.: „quid petis? ut nummi quos hic quincunce modesto
nutrieras, peragant avidos sudore deunces?"

Non censeo hanc „nutrire" vocis significationem fuisse divulgatam, quippe quae a latinitate quidem omnibus, si fides lexicis ulla, temporibus fuerit aliena. Neque enim ignotum est longe alia fuisse in re nummaria ac feneraria artis vocabula. Rem enim si noluerunt simplicius appellare locandam vel collocandas pecunias in fenore, „fenore pecuniam occupare" (Cic. Flacc. 51. Donat. Terent. Phorm. 5, 2, 15), „fenus exercere" (Dig. 12, 1. 33. Tacitus ann. 6, 16. Sueton. Vesp. 1, 3) rem usuris augere ausi sunt dicere. Persianae rationis excepto uno loco nec vola apparet nec vestigium. Pristinam enim Horatiani versus memoriam artificiose, ut solet, oblitteravit. „Nummos" enim „alienos pascet" Horatius, quod praestent testimonia tradita, certe litteris primus induxit, fortasse de suo ipse finxerat iocose. (epp. 1, 18, 35.) Quod nonne Persii loco inde fucatum extare videmus? Sumpsit igitur Persius videlicet illud non de volgari sermone, ex Horatium imitandi arte est natum. Ipsum enim Horatium ruminare ut nunquam placuit Persio, ita ne hic quidem voluit. Mutavit vocabulum deflexit sensum. Obaerato enim adaptatam Horatius imaginem expresserat („er füttert sie [nummos] und zieht sie groß, indem er Schulden auf Schulden

macht", Kießling-Heinze), feneratorem ipsum ita facientem habemus in Persio. Sed debetur Horatii ingenio Persii ars. Neque enim est vocula tam leviter ac negligenter, ut possit fortasse videri, delecta. Nam quamvis paulum, tamen aliquid infuisse aucti et sermoni gradationis Silius Italicus testis esse mihi videtur, qui (Pun. 7, 497): „pascere nec Poenus pravum ac nutrire furorem deerat" non poterat sine artis iactura negligenter, ut versum expleret tantummodo, iterare, nisi pugnandi libidinem et sustentari et augeri voluit significare.

Nec cetera latent loci artificia. „Deunces" solus nimis audacter appellavit „avidos" quam ut usitatam in hoc vocabulo metaphoram fuisse suspicamur. Tulerunt alia, quae versata ita esse in lingua Latina Lucanus et Statius testantur: nam Phars. 1, 181 usura „vorax", „avidum" fenus audit silv. 2, 2, 151. Unde Persius ad deunces transtulit, et spectatissimae concinnitatis causa quincuncem „modestum" dixit de suo ficta oratione.

Denique nummos in fenore positos „peragere deunces" („bringen" $^{11}/_{12} = 11\%$) passim in cotidiano sermone et in litteris usitate dicebant, „sudore" additum Persii morositati debetur.

Satura VI.

In hac satura inquirenti Persii ingenium minus lascivire videtur quam in reliquis. Saepius enim humi strata est oratio nec per laborem quaesita neque adeo Persiana, ut obscurissimis floreat. Sane enim plerumque non poeta ipse regnat, sed instituit cum heredipeta sermonem; rei magis quam arti dat operam. Nec tamen desunt omnino artificia; quae nostrum est tractare. Ac quis non statim agnoscet Persii ingenium ex v. 10: „postquam destertuit esse Maeonides", nonne ipse cernitur is qui v. 17: „signum in vapida naso tetigit lagoena", nonne „costa ratis" dicitur, nonne „nescire paratus" vere Persiane? Haec quisque videt. Sed sunt dubia. Ac primum ad v. 52. („exossatus ager") concedetur ipsum „ossa eximere agro" satis audacter dici de agro lapidibus non adeo purgato ut probe cultus sit et fecundus, tamen „ossa terrae" volgo dictos esse lapides Ovidius

est testis (met. 1, 393) et Choirilus et Menander rhetores. (cf. intpr.) Sed „exossatus ager" ipsum maxime redolet Persium novatorem.

Et „in decursu lampada poscere vel tradere" (v. 61) a Graecorum *λαμπαδηφορία* profectum translatumque ad ea quaecumque alteri ab altero tradantur, quamquam dictionis usitatae Varronem habemus testem (de r. r. 3, 16, 9 de colloquio) et Luretium (2, 79, de vita humana dictum), tamen facete primus transtulit noster ad heredem avidum qui vivum eum a quo sperat hereditatem se capturum vexat. Neque vero de versibus 72 sqq. possum nisi interpretum vel fundamenta vel iudicia recantare: multa insunt eadem vel similia in Horatio maxime et Martiale et Priapeis carminibus. Unum „singultiet" moneo „palpitare" voce prave explicari. Veriloquium autem vocabuli ex *χέλυ* = latine gelu (in „gluttus" „singluttus", unde ital. „singhiozzo", francogall. „sanglot." subgluttus = singultus Loeweus Gl. nom. 169.) Guilelmus Schulzeus excussit quaest. ep. p. 340, adn. 3. et latine „singultus" eadem ratione immutatum qua „auscultare" ex „ausclutare" i. e. *ὠτ-ακουστεῖν* docuit. Vis autem quae propria inest vocabulo (i. e. Germanice „Schlucken haben") apud Celsum extat 5, 26, 19 Daremberg: „stomachus afficitur: itaque aut bilem vomunt aut singultiunt." et a Plinio exhibetur 23. 48. Neque prorsus alia in glossis invenitur significatio: *λύζω* II 185, 1; 363, 4; *ἀποβλύζω* (ausspeien) II 235, 54; frequenter subgluattit V 332, 59.

Eximius igitur est Persii locus neque alter praesto vocis rationi explicandae. Quare cum sensus postuletur is, quo fastidium eius significetur qui illicita Venere passim fruatur („vago inguine" quod est ablativus causae) tum meretrices fastidiat („morosa vena") cumque matronis solis posthac velit rem habere, ratione nulla alia mihi videtur, nisi Casauboni interpretatione res posse comprobari: „singultire est fastidire copiam alicuius rei; nam inter causas varias singultus est haec, si imprudens aliquis aut avidior quam par erat maiorem buccam deglutierit". Et hoc modo re vera satis insolenter transfertur vis voculae ad coeundi fastidium. Quod cum omni memoria destitutum legatur, hoc unum non facere possumus, quin Persium excogitasse putemus; qui in hac una re, ne vile quicquam introferret, interrumpere non est veritus cursum sermonis recessitque

more suo ad dictionem nimis artificiosam ac difficilem quam ut dialogo fuerit apta. Ceterum toto loco non est interlocutoris sermo, sed auctoris ars conspicua. Nam reputes quaeso quam non defecerit brevitati consilio et arte instituendae facundia poetam quamque paucis verbis copiam rerum vivamque imaginem posuerit sua ipsius indignatione refertam.

Ac ne proxima quidem omni arte carent. Nam etsi in dubio relinquitur, an macie confectum corpus atque aridum etiam apud populum audierit „trama“ — si non erat in usu, maxime rursus egregium habemus Persium sermonis dictatorem — satis restat artificii. Sed est primum quid sit trama explicandum. Tractum autem est a muliebribus telis (schol.) Nec tamen adeo sibi constitisse videtur propria vis vocabuli, ut interpretes et veteres et novi dissentiant. Acuratissime autem rem perspexit Marquardtius-Mauius² p. 524 sq.: „Wird der hintere Schaft (des Webstuhls) getreten, so hebt sich der vordere, und die eine Hälfte der Kette geht nach unten, die andere nach oben. Die so entstandene Öffnung der Kette heißt das Fach oder der Sprung, lateinisch trama d. h. trahima von trahere (trăgh-ma Waldeus), griechisch ἤτριον von ἀΐσσω . . . In das geöffnete Fach (trama) wird nun der Einschlagfaden subtemen, κρόκη, ἐφυφή eingeschossen.“ Sed ex usu volgari veri est simile factum non grammaticorum ignorantia tantummodo, ut omnia extent posthac confusa. Tramam enim ipsum fuisse subtemen tradiderunt nec Persio satisfecerunt Servius Aen. 3, 483: filum quod intra stamen currit, quod Persius tramam dixit; Nonius p. 149, 19, Isidorus orig. 19, 29, 7 (Bluemner technol. 1, p. 124, 4). Quid quod etiam in titulo Pompeiano confusa esse videntur trama subtemen CIL IV 1507 (ex Buecheleri coniectura SVPTII = supte[men]) gloss. II 200, 15 trama κροκη ποδανη (Einschlagfaden), gloss. Cyrill. II 428, 30 ῥοδάνη trama subtemen tramen (Heraeus arch. XII, 58). Ipsum autem filum texturae nondum perfectae immo perficiendae, in glomum nunc complicatum, spectasse videtur commentarius antiquior ad Terent. Heautont. 2, 3, 52 = v. 293 Schlee p. 117, 14, subtemen nebat] i. e. fila deducebat, filabat, quod in textum mitteret i. e. tramam, panuclas: paniculae autem πρωτότυπον panus est (Charisius GL I, p. 105, 8 K), panus est globus subteminis quod ducitur

a fuso i. e. ἠλακάτῃ recto. (Marxius ad Lucil. 298.) Quibus cum congruit Porphyrio ad Horat. carm. 3, 12, 5: qualum, inquit, metonymicos pro lanificio dixit. Sed mulieres per deminutionem vasculum hoc usurpant quasillum dicentes. Hoc autem est in quo pensa vel tramas revolvunt.

Sed utut res se habet, missam facere iam licebit investigationem; filum ipsum potuisse audire tramam constat nec glossographi IV 397, 45 testimonium (: trama vel tramis extrema pars vestimenti) non potest nisi de filo intellegi. Unde quam facile transferatur ad humanum corpus, ut significetur cuius fibrae restent tantummodo (i. e. quasi extrema pars corporis), quod ἀραχναῖον σκελετὸν Leonidas Tarentinus nominavit Anth. Pal. 7, 472, 12, (addas Geffckenum Cynica 1909 p. 16), nemo est quin videat et hoc est ipsum quod supra concessimus haud ita esse alienum a volgi ingenio, ut „trama“ nomine denotatum in ore eius atque usu versatum possit cogitari.[1])

Sed Persii licentiam in conglutinandis vocabulis „trama figurae“ agnoscimus notam, quod effugisse vides interpretes acumen. Haud enim satis habet maciem illam trama voce denotare, „figurae“ addidit, quo quid voluerit si quis quaerit, eae quas „saepe figuras contuimur miras simulacraque luce carentum“ (Lucret. IV 34 sq.), vel „quales morte obita fama est volitare figuras“ (Verg. Aen. X 641.) Persio in animo sunt εἴδωλα, locutio sane audacissima. Licet igitur sint aliqua volgaria, compositione splendescunt; ornatu accedente volgaritas eius absconditur, artis vindicat palmam.

[1]) meliores evitant tale vocabulum scriptores: cf. Propert. IV 5, 61: „per tenues ossa sunt numerata cutes.“

C. Conclusio: summa.

Restat, ut peractam viam quasi respiciamus et comprehendamus quae enucleasse nobis videamur. Ac primum quidem cavendum videmus ne temere Persianam aequemus Annaeanae saturae vel Petronii fragmentorum (cf. p. 11) aliorumve sermonem. Immo adeo non apparet volgarem esse scriptorem, ut in his ipsis quae maxime prae se ferre videbantur volgaritatis speciem non modo non in ipsa volgaritate posset deprehendi, immo ipsum maxime operam dedisse passim appareret, ut plane a communi volgarique sermocinandi ratione quantum posset recederet novumque quendam procrearet sermonem qui a volgi usu sane profectus tam artificiose mutatus sit, ut ars, non volgi sermo eluceat. Sed etiam accuratius nobis contigit, quae esset illa ars Persiana detegere atque exponere.

Neque enim nova inveniendo ipsa vocabula, sed nota vel volgaria prudenter consarcinando, nova ratione coniungendo, nove componendo novitatis laudem voluit merere. Nam „dixeris egregie, notum si callida verbum reddiderit iunctura novum" Hor. a. P. 47.[1]) Hic etiam Cornutus cardinem posuit artis Persianae et ipsa poeta: 5, 14:

„verba togae sequeris iunctura callidus acri".

Ac statim videbis quanto opere etiam hac in re Persius Horatium audacia superarit.

Moneo de „examen castiges" (**1**, 6) „scalpuntur intima versu" (21), „supplantat verba palato" (35), „ciconia pinsit (58), „sartago loquendi" (80), „Romule ceves" (87), „ebulliat patruus" (**2**, 10),

[1]) conferas Heinzeum ad Horati locum eiusque exempla allata, Persiana statim enumerantur.

„nigra quod infusa vanescit sepia lympha" (**3**, 13), „bullit in unda" (34), „ingeminat tremulos naso crispante cachinnos" (87), „excussit timor aristas" (115), „puteal vibice flagellas" (49), cf. 5, 10 sqq. „tectoria linguae" (**5**, 25), „avias de pulmone revello" (92), „ratio secretam garrit in aurem" (96), „cretata ambitio" (177), ut quae maxime sunt conspicua eligam. Quorum omnium locorum ars in eo latet, quod nota per se atque usitata vocabula cum diversis atque dissimillimis saepe ita sunt coniuncta, ut novum quendam habeant colorem, novam reddant rationem.

Qui cum sit statutus Persii scribendi componendique modus ac genius sermonis Persiani, nunc nostrum est, quatenus congruat haec ars Persiana cum totius illius aevi arte ac studiis litterariis indagare.

Sed iam ex his facile intellegitur, quam male is debuerit ferre aetatis suae artem vilem, qua non rebus in sermocinando sed verbis solis navaverint operam. Tinnitum enim illum verborum vanum atque inertem et elocutionem illam garrulitate plenam et in sententiis inveniendis et eloquendis verbisve deligendis imbecillitatem qua usque eo poterant progredi, ut (1, 102) „Der widerhallbare Widerhall hallt nach", ut nostro sermone cum Meistero p. 47, (cf. p. 16 supra) utar, pro carmine digno vendere auderent, haec omnia summae totius suae artis repugnare Persium sensisse et graviter tulisse nos quidem nunc sentimus. Nam etsi ineptiam nunquam omnem poterimus abiudicare a Persio ipso neque negare nonnumquam caruisse ingenium iudicio, ab illorum cacozelia i. e. „per adfectationem decoris corruptis sententiis, cum eo ipso dedecoretur oratio, quo illa voluit ornari" (cf. Diom. GL. I, p. 451), voluisse Persium certum est atque puto distare. Plenae atque aptae sententiae soli atque imagini vividae efficiendae tota eius servit ars. Quare verborum antithetis non putat carmina sua esse ornanda, rebus mavult opponere res: moneo de luminibus orationis „Romule, ceves" (1, 87) vel de loco illo maxime egregio 3, 38: „virtutem videant intabescantque relicta". Sic Persius „librat in antithetis". Quid? nonne passim operam dedit, ne vili sermone uteretur neve quae in animo haberet eloqueretur tantummodo. Immo non modo

homines vivide depinxit (Jahnus p. CIV, supra p. 10), sed omnino ubique non describere verbis satis habet, sed quasi res ipsas posuit voluitque nos omnia tamquam oculis videre, percipere auribus, animis persentiscere; vel ut auctoris de sublim. p. 187, c. 15, 1. verbis utar, omnia fere *ἃ λέγει ..... ὑπ' ὄψιν τίθησι τοῖς ἀκούουσιν* suo sane more. I, 17sq., 21, 35, 47, 57, 58sqq., 64, 82, 87, 104sq., 133. II, 6, 10, 27, 51, 72. III, 1sqq., 8, 10sqq., 20sq., 27, 34, 80, 87, 115. IV, 10sqq., 24, 26, 30sqq., 33, 35sqq., 49. V, 3, 11sqq., 25, 55sqq., 70sqq., 86, 91, 112, 116sq., 138, 149sq., 176. VI, 10, 16, 52, 61, 72sqq. Ubique etiamsi facile abstinere potuit vel in secundariis imagine usus est, qua cernuntur res, animis imprimuntur.

Sed communi erat malae vanitatis fastidio cum coaevis coniunctus. Optimi enim idem iudicabant oderantque calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis (Tac. dial. 26). Hoc Jahnus quoque comprobavit, qui in universum perperam Persii cum aequalium studiis litterariis conexum illustravit (p. CVIIIsqq.): „Verum ea .... vitia, quae maxime in Persii sermone nos offendunt, obscuritas, quae nimia brevitate sententiisque abruptis maxime oritur, sicut translationibus supra modum audacibus, studiumque omnia nove atque quam fieri potest fortissime exprimendi, ea igitur vitia non tam Persii propria, quam seculi fuisse cognosci potest, eaque ad plausum illum conciliandum haud minimum contulisse verisimile est." Haec sane nequeunt improbari, si totius saeculi illud ineptum quod nobis videtur in re poetica iudicium vis damnare; sed speciosae quae aequaevis est visa, arti Persianae satis non fit. Sed si Jahnus (p. CIX): „Nempe in duas partes", inquit, „scriptores eius temporis vergebant, quorum alii lusu, qui omnia corruperat, affecti, mollitie et lascivia diffluebant et inani verborum grande sonantium copia turgebant, quod genus in prima satira castigat Persius, alii contra rigidi et severi, brevitatem et obscuritatem, sublimitatem atque audaciam secuti, nec ipsi vitio carebant", errasse ipse mihi videtur nec recte alteram partem illustrasse, si ad Persium vult eam pertinere. Etenim, qua maxime nititur, Senecae epistulam 114., quam totam fere exscripsit (p. CIXsqq.) perperam interpretatus esse videtur. Quae cum plane nulla pertinet ad Persium, non est afferenda, ut locutio Persiana illustretur. Ibi enim initio opponuntur inter se diversa corruptae orationis genera.[1]) Ipsa autem quinque discernuntur genera: 1. inflata explicatio; 2. infracta et in morem cantici ducta (sc. explicatio); 3. sensus audaces et fidem egressi; 4. abruptae sententiae et suspiciosae in quibus plus intellegendum est quam audiendum; 5. translationes inverecundae. Opponuntur aperte 1 et 2, 3 et 4. De 5. postea. Contra 2. Persius ipse aperte pugnat I, 15sqq. Ex oppositione „aliquando-aliquando" vitii primi et secundi colligendum est etiam verba „inflata explicatio" referri ad pronuntiationem, quare nihil ad Persium haec vituperatio. Sed videtur Senecae hoc loco non acriter distinxisse actionem et compositionem. Certum est cogitare cum de Asianis qui grandes et sublimes = *ὑψηλοὶ* esse studebant, sed in tumorem (Cic. Brut. 13 all.) et ventosam enormemque loquacitatem (Petron. 2, 7) incidebant. Quam sane Persium ipsum maxime improbare scimus. — Tertium vitium pertinet ad res tractatas, indicare videtur Seneca immodicum usum hyperbolarum. — Quarto loco castigatur vitium quod efficitur dicendi genere nimis brevi, abrupto, ancipiti. Nec tamen videtur Seneca aevi vitium in animo habere, unum L. Arruntium affert, qui Sallustianus voluit esse. Castigat autem Seneca illas quibus Sallustius floruerat amputatas sententias, verba ante exspectatum cadentia, obscuram rhetoris brevitatem, ut res a sana dictione alienas. Aliunde Persius erit explicandus. Etenim eius obscuritas, quae non est in dialogo componendo gravissima (Jahn. p. CVII.), immo in singulis verbis maxime conspicua, ad eam peculiarem illius aevi artem revocanda est, de qua Quintilianus 8, 2, 12sqq. monet: qui in vitiis habet pravum illud obscurandi studium atque in pessimis *ἀδιανόητα* illa quae vocantur. Procul dubio Persius ex eis erat unus *σκοτεινός*, qui „id demum eleganter atque exquisite dictum putaverint, quod interpretandum esset." Verumtamen vituperavit hoc studium Quintilianus in oratore

[1]) Equidem debeo harum rerum scientiam G. H. Müllero sodali. Poteris mox cum in lucem prodierit conferre eius dissertationem quae inscribetur „animadversiones ad L. Annaei Senecae epistulas quae sunt de oratione spectantes".

publico tantummodo. Plus sane poetae conceditur, praesertim si non est veluti in Persio, inanis verborum lusus, quod supra exposuimus. (p. 61.) Nam hunc maxime illis temporibus ab optimis improbari erit tenendum. Unde etiam de translationibus inverecundis quae vocat secundum Senecam Jahnus debebit iudicari. Quae sane, si ex artis consilio proveniunt ac sunt arti i. e. in Persio imagini vivaci efficiendae idoneae vel audacissimae non improbabantur. Levitatem ii maxime damnabant, a quibus Persius quoque stabat. Inde tantummodo potest, ut opinor, is quem Persius in illius temporis studiis litterariis obtinet locus ac pugna eius contra adversarios ac laus quae Persio ab optimo quoque veluti Quintiliano tribuitur, comprehendi.

Nolebat autem artifex tantummodo vel ingeniosus poeta haberi, volebat esse homo ethicus. Neque vero in stilo eius atque arte naturam moresque et animum atque indolem nihil valuisse veri est simile. Nam *οἷος ὁ τρόπος τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος* (Plato rep. III 400 d. = Seneca ep. 114, 1: „talis hominibus fuit oratio qualis vita“). Quare apparet vanitatem illam loquendi non modo ingenioso artifici taedium movisse, movit etiam ethico. Nam „ubicunque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque recto descivisse non erit dubium.“ (Sen. ep. 114, 11.) Ita optimi iudicabant. Omitto post Jahni proll. p. LXX sqq. Friedlaenderi de hist. mor. III^{6} 419 sqq. Nordeni curas longius de moribus depravatis qui fuerint disserere. Nihil nisi aures titillare volebant libidinesque excitare. Magis ac magis vires morbus exedit et in medullas nervosque descenderunt deliciae (Sen. epp. 114, 25), pudenda omnia dictu spectabantur (Quint. 1, 2, 8). Declamationes autem ad solam voluptatem compositae nervis carebant (Quint. 5, 12, 17 sq.) et „tumidos et corruptos et tinnulos et quocunque alio cacozeliae genere peccantes“ certum habebat Quintilianus (2, 2, 9) „non virium, sed infirmitatis vitio laborare“. Quapropter Persius cum Quintiliano non modo libidinosam respuebat eloquentiam, sed nullam esse existimabat, quae ne minimum quidem in se iudicium masculi et incorrupti, gravis et sancti viri ostentaret. Quare marem strepitum amabat (6, 4) Caesii Bassi qui lyricis carminibus et veteres numeros et vere Romanum robur

adiunxerit. Ac maxime inde certum est Persium ipsum operam dedisse, ut quantum posset robur sermoni adderet. Quod non mirum in Stoico. Immo cum hac in re usque eo passim processit, ut ne horridissima quidem reformidaret, Stoicum velim intellegas satiricum poetam in obscenis fortissimum.[1]) Nam accepimus iam Cynicos inde ex Antisthenis Sathone (cf. Mullach II, p. 282) non esse veritos contra mores malos verbis pessimis (*φορτικοῖς ὀνόμασι*) uti, Stoicorum autem licentiam in loquendo adhibitam Cicero notissimo illo loco notavit (epp. fam. 9, 22, 1): „placebat enim Stoicis suo quemque rem nomine appellare. Sic enim disserunt: nihil esse obscenum, nihil turpe dictu; nam si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse aut in verbo: nihil esse tertium. in re non est. — Propterea habes scholam Stoicam: *ὁ σοφὸς εὐθυρρημονήσει.*“ Persium autem videmus hunc modum minime excedere; neque enim rebus obscenis ipse delectatur. Neque vero censeo eum, ut merum squalorem non appeteret, virginali sua verecundia tantummodo esse adductum; immo cum in obscenis tractandis maxime artificia illa versentur: fortem ac marem morum castigatorem se praestare voluit, non mollem hominem vel libidinosum.

Quae omnia i. e. artis Persii rationem, ingenii facultatem, naturae virtutem una debemus animo complecti atque spectare, si volumus mirificam illam aequalium laudem recte aestimare: Quintiliani 10, 1, 94: „multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit“ et Martialis 4, 29, 7: saepius in libro numeratur Persius uno, quam levis in tota Marsus Amazonide.“ Totum virum hi laudant. Sed etiam his potissimum testibus Jahni falsum de arte Persiana iudicium corrigitur. (p. CVIII., supra p. 62. all.) Nam equidem censeo eos laudem Persii non fuisse praedicaturos, si communem hanc esse saeculi artem iudicassent. Immo hi ipsi eiusdem temporis litterati ac scriptor alter rhetoricus primus id ipsum quod maximi mihi esse vi-

[1]) parum perspexit Jahnus Persii indolem: proll. pp. XLIII sq. rectius de obscenis disseruerat Wagner Persii sat. transl. Lunaeburgi 1811, p. 59.

detur ad iudicium certum de Persio formandum momenti, scilicet rationem artis Persianae e genio aevi provenisse atque cum aequalium optimorum iudicio conspirasse, artem ipsam peculiarem quandam ac speciosam ipsis coaevis esse visam i. e. eum qui ex suis unus profectus est perfectionem quandam assecutum esse quo praeter ceteros floreret, ac singulari quodam fuisse eius artem in honore apud aequaevos testantur.

Indices.

Index locorum.

Index latinus.

Index graecus.

Errata correcta.

p. 10. l. 6. **Jo.** Lydi.
p. 23. l. 1. **FPR p. 39.**
p. 25. l. 25. heptat. **exod. 297.**
p. 40. l. 36. 27, 90.

Vita.

Martinus Schönbach Oscari ludi magistri matre Helena e gente Tempel oriunda fidei evangelicae Lutheri natus sum anno 1886. m. Aprilis d. 19. in vico Gross-Schoenau Saxonum Lusatiae in ea parte sito quae prope est a finibus Bohemiae. Pater qui nullo fere unquam erat morbo adfectus feriis Sextilibus anni 1892. subito mente vesania atra obcaecata paucis diebus paralysi progressiva conturbatus rapidissima morte est raptus fratribus nobis sex et duorum annorum relictis. Matris adhuc superstitis amori curis labori debeo nunc quod sum. Patriae amoenitate uti puero per undecim annos licuit. Ibi etiam primis eruditionis elementis instructus sum a magistris separatae cuiusdam scholae quae selecta vocatur. Latina quoque lingua instructus anno 1897. m. Augusti d. 16. in quintam classem gymnasii Zittaviensis intravi, quod tum florebat rectore Konrado Seeligero. Qui mihi quoque fautor extitit benevolentissimus semperque eum pio atque grato animo colam. Ceteri quoque magistri, qua fuerint in me benignitate semper memor erit animus nec non quantum pro sua quisque doctrina mea studia provexerit. Sane Theodori Gärtneri Aemilii Kochii Roberti Lamprechti scholarum memoria nunquam poterit extingui. Imprimis autem quantum fructus decerpserim ex scholis Erici Wilisch viri doctissimi nunquam desinam reminisci quippe cuius doctrina et arte scriptores antiqui quasi reviviscerent et qui veram cui ipse totus erat deditus humanitatem ipsam praestare mihi videretur. Vere anni 1905. maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut antiquitatis studiis me darem. Docuerunt me de Bahder Barth Bethe Brugmann Gardthausen M. Heinze † R. Heinze Hirt Hoffmann Hofmann Holz Ihmels Immisch nunc Gissensis Jungmann Kirn Kittel Köster Lamprecht Lipsius Marx nunc Bonnensis Schreiber Schulz Sievers Studniczka Volkelt

Wilcken Windisch Windscheid † Wirth Witkowski Wundt. Proseminarii philologi per quater senos menses sodalis fui, per unum senior auspiciis Immischii. Quinto semestrio in seminarium philologicum receptus sum moderantibus Betheo R. Heinzeo Lipsio. Ordinarius sodalis fui per annum. Praeterea ad germanicum seminarium benigne aditum mihi patefecit Sievers, ad philosophicum M. Heinze † Barth, ad paedagogicum Jungmann. Ad proseminaria me admiserunt germanica Holz Köster Sievers. ad exercitationes germanicas de Bahder, goticas Holz, philosophicas Wirth, archaeologicas Schreiber Studniczka, historicas Gardthausen, paedagogicas Hofmann. Quibus praeceptoribus multum debeo gratiamque habeo omnibus. Verumtamen maxime Ricardum Heinzeum, qui etiam huic opusculo inde a primordiis summa cum liberalitate atque humanitate favit, me provexisse grato profiteor nec non Betheum et Lipsium studiorum meorum fautores fuisse benevolentissimos semper recordabor animo.

Denique per hoc lustrum quo Lipsiae commoratus sum aedibus amoenis et consuetudine iucunda mihi licuit uti patrui Theodori Schönbach qui vitae moderator mihi fuit adiutorque adeo sincerus ut neque dictis neque factis unquam satis dignam ei gratiam me posse referre confidam.